Fr. Nicholas Meyer, O.F.M.

4 E 4
SECTION SHELF

DE DUBIO SOLVENDO

IN RE MORALI

DE

DUBIO SOLVENDO

IN RE MORALI

DISSERTATIO

WITHDRAWN

QUAM

AD GRADUM DOCTORIS S. THEOLOGIÆ

IN UNIVERSITATE CATHOLICA LOVANIENSI CONSEQUENDUM

CONSCRIPSIT

G. J. WAFFELAERT

PRESBYTER DIŒCESIS BRUGENSIS

S. THEOL. LICENCIATUS

ET COLLEGII S. SPIRITUS SUBREGENS

241.22
W128d

EX LIBRIS PROVINCIAE
PRO-STUDIO THEOL.
S. S. CORDIS JESU.

LOVANII
EXCUDEBANT VANLINTHOUT FRATRES
UNIVERSITATIS CATHOLICÆ TYPOGRAPHI.

1880

ILLUSTRISSIMO · AC · REVERENDISSIMO

DOMINO · DOMINO

JOANNI · JOSEPHO · FAICT

EPISCOPO · BRUGENSI

SANCTITATIS · SUÆ · PRÆLATO · DOMESTICO

SOLIO · PONTIFICIO · ASSISTENTI

SACRÆ · THEOLOGIÆ · ET · PHILOSOPHIÆ · DOCTORI

ORDINIS · LEOPOLDINI · DECURIONI

PRÆSULI

SANCTÆ · SEDI · ROMANÆ · ADDICTISSIMO

PASTORI · VIGILANTISSIMO

CLERI · POPULIQUE · SUI

IN · FIDE · ET · CHARITATE

DUCI · AC · DECORI

IN · PERENNE · GRATI · ANIMI

AC · FILIALIS · AMORIS · TESTIMONIUM.

ILLUSTRISSIMO · DOCTISSIMO

ALEXANDRO · JOSEPHO · NAMÈCHE

SANCTITATIS · SUÆ · PRÆLATO · DOMESTICO

ECCL. · METROP. · MECHLINIENSIS · CANONICO · HONORARIO

SACRÆ · THEOLOGIÆ · DOCTORI

ORDINIS · LEOPOLDINI · DECURIONI

UNIVERSITATIS · CATHOLICÆ · RECTORI · MAGNIFICO

&

VIRO · ILLUSTRISSIMO · DOCTISSIMO

LUDOVICO · GULIELMO · ROELANTS

SANCTITATIS · SUÆ · AB · INTIMO · CUBICULO

SACRÆ · THEOLOGIÆ · DOCTORI

ECCL. · METROP. · MECHLINIENSIS · CANONICO · HONORARIO

COLLEGII · SANCTI · SPIRITUS · PRÆSIDI · DIGNISSIMO

THEOLOGIÆ · MORALIS · ANTECESSORI · PERITISSIMO

SUORUM · STUDIORUM · MODERATORI

HANC · SUAM · LUCUBRATIONEM · DEVOTISSIMO · ANIMO

D. D. D.

VENERABUNDUS · AUCTOR

PROŒMIUM.

Quo consilio, qua ratione hanc inauguralem dissertationem de solvendo dubio in re morali conscripserim, breviter exponam.

Non ea profecto de causa morale argumentum elegi, quod rei dogmaticæ sublimitas, humanæ menti impervia, mere speculativa atque jucundissimo utilissimoque scientiæ fructu aut vacua, aut non satis fœcunda visa fuerit, cum jure merito a sapientissimo viro Lessio illos coargui censeam qui « *eam Theologiæ partem, quæ in speculatione versatur, parum sibi utilem, parum moribus accommodam arbitrantur. Quo fit ut vel exiguam in ea sibi comparanda, dum in Theologiæ palæstra exercentur, operam collocent, vel certe, absoluto studiorum curriculo, negligant, totique in eam quæ practica vocatur, incumbant : prorsus ac si ista plane sterilis, hæc sola fœcunda foret in hominum utilitatem* » (1) : sed, tum aliis statim manifestandis rationibus motus, tum accedentibus

(1) *De Perfectionibus Moribusque divinis*. Præfatio.

potissimum, quæ mihi pro mandato sunt, reverendissimi atque doctissimi Præsulis votis libenter obsecutus, de re morali libellum scribere sum aggressus.

Omnis Theologia moralis duobus contineri videtur, quorum alterum quæstionem juris, alterum quæstionem facti, haud inepte vocaveris : primum, quomodo actus humani sint conformandi morum regulæ, ut in finem ultimum dirigantur, quod Theologiæ moralis generalis subjectum est; alterum, quæ sint regulæ seu leges speciales, præceptaque singularia, qua certitudine de iisdem constet, quo sensu intelligenda, quæque sint auxilia divinitus concessa ut finem adipiscamur, qui sint horum natura et usus, quæ omnia Theologiæ morali speciali subjecta sunt. Ut autem ex generali illa parte haurirem, quod demonstrandum susciperem atque illustrandum, me nec pauca nec spernenda commoda induxerunt.

Atque imprimis, ea ibidem occurrunt quibus tamquam fundamento tota moles ædificii rei moralis innititur, quæque arctissimo cum disciplinis dogmaticis vinculo constringuntur : quo fit ut harum rerum studio incumbenti utilitas haudquaquam desit, nostris præcipue luctuosissimis temporibus, quibus homines perditissimi doctrinam moralem funditus eruere atque ipsum Deum, qui ut in ordine physico, ita in ordine morali Principium

est et Finis, atque supremus Legislator ac Judex, absurde haud minus quam impie, delere minime verentur. Neque minus ingenii exercendi facultas præbetur : ea etenim indoles est eorum quæ de principiis morum et hinc deducenda solutione dubiorum disputanda obveniunt, ut et sublimitas rerum quas abstractas appellant ac metaphysicas, et subtilitas faciendæ analysis rerum maxime concretarum, ut in psychologicis contingit, simul exaggerandis difficultatibus concurrant. Ne igitur benevolus atque humanus lector mihi indulgere sit immemor, si qua in re imparem me invenire contingat; neve, quæ initio abstrusiora, in speculativis, obvia fortassis habebit refugiens, libellum abjiciat. Paulatim enim ex generalioribus ad speciale propositum devenio et ad practica magis accedo, quæ ita ad priora referuntur ut illa clariorem in lucem collocent. Non enimvero totam rem moralem exponere sed ultimam tamen tractandæ quæstionis radicem scrutari volui. Estque hæc prima pars *fundamentalis* hujus dissertationis.

Variorum dubiorum naturam et principia eadem solvendi ante oculos ponit atque demonstrat secunda pars, *specialis*.

Tertia tandem pars *practica* est, et circa applicationem principiorum versatur.

Præ reliquis in theologia morali generali occurrentibus, hoc prætuli, quamvis multum fuerit de eodem subjecto scriptum ac disceptatum, quia summi est momenti et universalis, ut omnibus qui vel a limine theologiam salutarunt, est manifestum; et aliquid utilitatis conferre visum est idem novo ordine et distincte proponere, dispersa colligere unoque conspectu offerre, strictius forte demonstrare ac penitius inquirere : neque enim adeo rem exhaustam fuisse putem, ut nihil perfectius, lucidius, enucleatius explicari, nihil ordinatius, distinctius, plenius evolvi potuerit; nec temeritatis argui merebor, si inde dixero plerumque ortas esse imperitorum in systema morale undequaque præstantissimum ac sanissimum querelas, quod ipsa rei moralis fundamenta haud satis fuerint perspecta, aut etiam inepte principiis tributa quæ nonnisi eadem præpostere applicantibus debentur.

Hæc sunt quæ paucis præfando, monere volebam. Faxit Deus ut ne nimis operi impar, lectoribusque injucundus fuerim repertus.

AUCTOR.

INDEX.

—

PARS I.

FUNDAMENTALIS.

PRINCIPIA GENERALIA RECTE FORMANDÆ CONSCIENTIÆ.

SECTIO PRIOR.

DE MORALITATE IN GENERE.

Pag.

CAPUT I. — Notio moralitatis seu brevis analysis actus moralis. 2

Actus humani, notio — duplex elementum : objectivum et subjectivum — duplex esse : physicum et morale. Species moralis *actus*. Quantitas bonitatis et malitiæ in *actu*. Distinctio numerica actuum.

CAPUT II. — De principiis moralitatis in particulari.

§ I. *De fine ultimo, seu causa finali actus moralis* . . 12

Finis ultimus, abstracte consideratus, objectivus et formalis — determinate et concrete spectatus, objectivus et formalis. Quomodo necessario, quomodo libere in eum feratur homo. Qui actus implicite in Deum tendant.

§ II. *De facultatibus animæ, seu causa efficiente actus moralis* 15

Duplex functio intellectus in ordine ad moralitatem. Imperium, intellectus et voluntatis. Actus imperatus.

§ III. *De lege æterna, seu causa exemplari actus moralis* 17

Ordo moralis quomodo Deum primum manifestet. Perfecta obligatio Deum cognitum supponit. Peccatum philosophicum et theologicum. Divina voluntas prima universalis regula objectiva omnis moralitatis theologicæ. Species moralis *objecti*. Quantitas bonitatis et malitiæ *objecti*. Distinctio quantitativa peccati.

CAPUT III. — De actu supernaturali 25

Quare de ordine supernaturali hic fiat sermo. Necessitas revelationis in ordine ad doctrinam morum. Ordo supernaturalis generatim delineatur : finis — tendentia in finem — media : gratia habitualis, actualis — regula. Quædam in particulari, in ordine ad rem moralem : actus supernaturalis, duplex elementum : subjectivum et objectivum — relatio in finem supernaturalem. Præceptum relationis operum in Deum. Species bonitatis et malitiæ in hoc ordine. Quantitas. Distinctio peccati mortalis et venialis. Status gratiæ ceu conversio in finem. Conclusio.

SECTIO POSTERIOR.

DE CONSCIENTIA CEU REGULA PARTICIPATA REGULAM OBJECTIVAM APPLICANTE.

CAPUT I. — De legis promulgatione.

§ I. *Regula objectiva postulat applicari agenti per scientiam* 38

§ II. *Quomodo sit cognoscibilis regula objectiva.*

I. Superior debet manifestare suam voluntatem subditis, in lege per promulgationem . . . 41

II. Quomodo promulgetur lex naturalis 43

III. Quid dicendum de promulgatione quoad legem æternam 44

§ III. *Consectaria.* 46

Libertas prior lege. Lex non promulgata non est lex.

CAPUT II. — De cognitione legis naturæ ac ignorantia ejusdem in statu præsente generis humani.

§ I. *Errores vitandi.* 50

§ II. *Exponitur et probatur vera doctrina* 55

Principia prima ignorari non possunt. Nec proximæ conclusiones. Sed remotiores possunt. Imo in difficilioribus quibusdam communis ignorantia contingere potest. Conciliantur AA. Enodatur magna difficultas.

Caput III. — De dictamine conscientiæ ejusque proprietatibus.

§ I. *Applicatio regulæ objectivæ morum, seu series actuum in transitu a regula objectiva ad regulam formalem, proximam.*

I. Principia philosophica de cognitione generatim. 62

Subjectum cognoscens. Objectum formale cognitionis. Triplex stadium in operatione intellectus : perceptio, judicium, certitudo.

II. Hæc applicantur ad rem præsentem 66

Apprehensio moralitatis, duplici modo. Judicium de moralitate directum : immediatum — deductum : absque formidine errandi, ob evidentiam, ob inadvertentiam — cum formidine errandi. Dictamen certum conscientiæ, in casu dictaminis directi : certi — erronei — cum formidine eliciti.

III. Complentur principia generalia formandæ conscientiæ 75

Plura demonstrari nec debent nec possunt. Judicium directum et reflexum quomodo sese habeant ad invicem : Prop. I. Quomodo subordinentur. Prop. II. Judicium directum sæpe non est certum, nec id requiritur. Prop. III. Licita operatio requirit exclusam dubitationem formalem practicam. Prop. IV. Formido in judicio directo non impedit honestatem actionis. Principia synteresis reflexa quomodo evidentia. Propositio V. Judicium reflexum, absolute ultimum est certum et evidens. Quid proprie *conscientia* vocari possit.

§ II. *De conscientiæ ultimo dictamine ceu regula formali operationis moralis.*

I. Conscientiæ ultimum dictamen est regula formalis honestatis theologicæ 83

II. Præcluditur aditus confusioni. Enodatur difficultas de rectitudine appetitus et rectitudine rationis. 84

III. Quædam proprietates dictaminis conscientiæ . 86

PARS II.

SPECIALIS.

METHODUS SOLVENDI DUBII.

Quid per hoc intelligatur 87

SECTIO PRIOR.

EXPONUNTUR DIVERSÆ DUBIORUM SPECIES.

Caput I. — De distinctione dubiorum, in genere 88

Diversi status mentis relate ad cognoscendum verum. Non confundendi cum ipsis apparentiis suo modo objectivis veri. Divisio dubii : in directum et mere subjectivum, ac reflexum suo modo objectivum : quod est quoad se et publicum, vel quoad nos tantum — imprudens et prudens : quod est negativum vel positivum — in practicum et speculativum : quod est juris vel facti. Notanda.

Caput II. — De probabilitate.

§ I. *De natura probabilitatis* 94

Qualis requiratur definitio. Modus procedendi. Generalis notio a posteriori. Probabilitas ab extrinseco formaliter quoad nos — quoad se. Definitio Aristotelis. Probabilitas intrinseca quoad nos — quoad se. Alia definitio Aristotelis. Inquiritur notio illius probabilitatis, ut ex solo numero eventuum aut indiciorum oritur. Maximi momenti distinctio inter probabilitatem absolutam et relativam. Inquiritur eadem notio probabilitatis intrinsecæ ut ex variis diversæ naturæ rationibus ortæ. Notio probabilitatis ulterius illustratur. Duæ propositiones contradictoriæ possunt simul esse probabiles. Hæc altera definitio Philosophi non applicatur omni propositioni probabili, sed convenit motivo probabili. Quid sit *opinio* probabilis. Quid sit *probabilius*. Quid opinio *communior* aut *communis*. Quid opinio *improbabilis*.

§ II. *De causa et origine apparentiæ probabilis.* . . 109

Explicatur duplex causa apparentiæ probabilis, objectiva et subjectiva.

§ III. *De divisione probabilitatis* 111

Propositio probabilis immediate, et mediate. Assensus probabilis physice talis, et moraliter talis. Probabile quoad se, probabile quoad nos. Præcluditur aditus confusioni. Opinio est proxime practica, vel formaliter speculativa.

§ IV. *Regulæ ad dignoscendum probabilitatem ejusque gradus.*

I. Regulæ ad dignoscendam ipsam probabilitatem. 115

Sive immediatam sive mediatam, intrinsecam et extrinsecam, tum quoad se, tum quoad nos. Quoad indoctos, quoad doctos qui soli extrinsecæ fidere volunt.

II. Regulæ quoad comparationem sententiarum ad invicem 122

Probabilitas unius partis contradictionis non implicat, nec excludit alterius partis probabilitatem.

III. Regulæ quoad gradus probabilitatis 125

§ V. *De assensu ex motivo probabili.*

I. De assensu generatim 126

Notio. Distinctio assensuum. Visio intellectualis. Scientia. Fides. Nota de libertate fidei. Opinio. Ne confundas judicium de probabilitate cum judicio probabili de veritate.

II. De opinativo assensu, seu de partibus voluntatis in ipso 131

III. Potest intellectus, imperante voluntate, utrilibet parti probabili assentiri, et prudenter quidem. Quomodo suum cuique opinatum sit probabilius 133

SECTIO POSTERIOR.

PRINCIPIA SOLUTIONIS IN DIVERSIS OCCURRENTIBUS DUBIIS.

CAPUT I. — De judicio rationis practicæ ejusque certitudine, in ordine ad actum moralem 141

Distinctio in rationem superiorem et inferiorem — speculativam et practicam. Judicium ultimum de mo-

ralitate est rationis superioris practicæ. Indoles hujus judicii declaratur ex vario discrimine inter rationem speculativam et practicam : discrimine ratione finis — ratione modi attingendi objectum—ratione certitudinis. Qualis certitudo in re morali — et quarum rerum certitudo requiratur. Quid sit obligatio objectiva et subjectiva. Discrimen quoad utramque obligationem, inter forum internum et externum — inter legem naturæ et positivam, ratione indolis diversæ ac diversi modi promulgationis utriusque : non eadem dubia exurgunt circa utramque — distincto dictamine directo et reflexo in lege naturæ, non eodem modo ac in lege positiva locus est peccato materiali.

CAPUT II. — De modo solvendi dubii.

§ I. *De dubio irrationabili* 157

Quomodo practice, quomodo scientifice loquendo, solvatur. Apprehensiones præviæ non refundunt moralitatem in actum deliberatum, sed absolutum judicium.

§ II. *De omni incertitudine speculativa, seu dubiis quæ non versantur circa liceitatem præcise, actionis hic et nunc ponendæ* 159

De dubio mere subjectivo non agitur. Distinguuntur dubia hæc mere speculativa a practicis. Quomodo transeant in practica : probabilitas — dubium negativum. Quædam in particulari, quæ obstant ne transeant in practica : charitas — justitia — religio : ubi agitur de sacramentis conficiendis — suscipiendis — post susceptionem, orto dubio de valore, aut de obligatione ex suscepto oriunda ; — votum et obedientia. Notanda.

§ III. *De dubio circa liceitatem non pertingente ad probabilitatem* 172

Quo sensu liceat, quo non liceat : agere cum dubio mere speculativo — cum dubio practico. Solutio dubii negativi. Quo sensu resolvatur principio, ut dicunt, possessionis. Quomodo de eodem principio disserant AA. Quæ pars possidere cognoscatur, ex Sanchez. De similibus effatis moralistarum fertur judicium — ad quid inserviant, quomodo adhibenda. Fit solutio dubii, abstrahendo a similibus adagiis : si sit practicum, regulæ — si mere speculativum, quod fit dupliciter, regulæ — si non constet an speculativum in practicum transeat. Tandem regula generalis solvendi dubii negativi.

§ IV. *De probabilitate practica* 181

Cum ea certo licet agere. Declaratur generaliter — in particulari : considerando legem positivam : in probabilitate practica orta ex probabilitate juris — ex probabilitate facti ; considerando præceptum et votum : item duplici eadem hypothesi. *Lex dubia non obligat* non probat universaliter Probabilismum ; considerando legem naturæ — legem supernaturalem connaturalem gratiæ. Scholia. 1. Duplex exponitur modus formandi conscientiam. 2. De sensu theologorum antiquorum hac in re : non sunt Tutioristæ nec intelligendi sensu Probabiliorismi recentioris ; duo statuunt : formandam esse conscientiam. excludendo formale dubium ; id fieri per opinionem seu absolutum assensum opinativum — non excludunt principia indirecta et reflexa, explicite — nec implicite — nec ea ignorarunt — exemplum — altera probatio. Evolutio systematum solvendi dubii : epocha 1ª, ævum Patrum, agnitio implicita et practica doctrinæ nostræ — epocha 2ª, schola antiqua, idem cum majori evolutione principiorum — epocha 3ª, scholastici recentiores, propositio magis explicita, initium controversiæ. Citatur Medina — epocha 4ª, controversia acris adversus Rigidos, Probabilismus, Probabiliorismus, Æquiprobabilismus. S. Alphonsus. Nota de S. Doctore — epocha 5ª, demonstratio Probabilismi completa, ejusque applicatio constans.

PARS III.

PRACTICA.

APPLICATIO PRINCIPIORUM.

SECTIO PRIOR.

GENERALITER OBSERVANDA.

Caput I. — Quid sibi velit tritum dicterium : *Praxis differt a speculatione* 203

Nexus theoriam inter et praxim. Tria moralistæ summopere cavenda. Modus agendi in casu urgente.

Caput II. — Generalis modus procedendi in applicandis principiis de solvendo dubio 208

In dubio est examinandum : 1. an dubium sit publicum, aut saltem ad publicum reductibile — 2. an dubium publicum sit positivum, an negativum — 3. speculativum, an practicum — hisce præstitis, manet solutio ex principiis expositis. Quid facturi simus in seqq.

SECTIO POSTERIOR.

APPLICATIONES PRACTICÆ.

Modus procedendi. Notandum. Divisio sectionis. . . 211

Caput I. — Dubia circa obligationem ex lege positiva et præcepto.

§ I. *Quod spectat obligationem inducendam* 213

Quatuor requiruntur ut lex aut præceptum constituatur. Inde quatuor classes dubiorum, quibus additur quinta : de qualitate et quantitate obligationis, 5 artis.

Articulus I. De requisitis ex parte legem ferentis, aut præcipientis 214

Dubium unicum. Si dubia sit auctoritas, an obedire oportet 214

I. In casu probabilitatis. Tota difficultas quando id sit probabile. Quam prudenter agendum ne immerito deneges obedientiam . . . . . »

II. In casu dubii negativi. Explicatur locus ex Salmant. et S. Alphonso. 217

Articulus II. Requisita ex parte manifestationis imperii . 219

Dubium primum. De existentia legis, hujusve promulgatione ; existentia præcepti, consuetudinis . . . . »

Notandum maximi momenti, ut recte judicetur de possessione, ut ajunt, legis aut libertatis.

Dubium secundum. De extensione et sensu legis. . . 221

Distinctio summi momenti inter dubium sensum qui arguat defectum promulgationis in lege, et qui non arguat talem defectum. Hic ultimus casus etiam non confundendus cum epikeia, nec uterque cum dubio de applicatione legis.

Articulus III. Requisita ex parte materiæ legis aut præcepti 225

I. Ex parte materiæ in se.

Dubium primum. De liceitate rei præceptæ 224

I. In casu liceitatis probabilis . . . . . »

II. In casu dubii non pertingentis ad probabilitatem . 225

Dubium secundum. De positiva honestate rei præceptæ. 228

II. Ex parte modi præcipiendi, qui forte injustus est.

Dubium primum. An lex vergat in bonum commune. . 229

Definitur status quæstionis. Solvitur. Monitum Suarez de dubiis præsentis articuli.

Dubium secundum. Reliqua dubia reducuntur ad hoc : utrum superior excedat limites suæ potestatis . . 231

Solvitur ex doctrina Suarez. Fit crisis AA. exempli gratia, de quæstione facti : quousque in casu dubia sit obligatio obediendi — in dubio negativo de potestate superioris. Lugo. Sanchez. Castropalao. Qui ab ipsis citantur — in dubio probabili. Lugo et quos citat. In particulari Sanchez. Explicatur locus quidam Suarez. Castropalao et quos citat, hujus argumenta examinantur. Jo. Sanchez, respondetur rationibus ab eo allatis.

Articulus IV. Requisita ex parte subditi 250

Capacitas imperii in subdito, aliter respectu Dei, aliter respectu hominis legislatoris. Notanda circa dubia præsentis articuli.

Dubium primum. Circa ipsum fundamentum seu titulum subjectionis 252

I. An in dubio de baptismo, tenetur ille legibus Ecclesiæ. . . . . »

II. In dubio an domicilium habeat in loco, tenetur ne legibus loci 253

Dubium secundum. In dubio de usu rationis ceu conditione ut capax sit imperii subditus . . . . . »

I° Generaliter. 2° Quoad pueros — examinatur duplex opinio de tempore quo teneantur pueri legibus Ecclesiæ. Propria ratio cur non liceat inducere amentes ad peccandum in legem divinam — aut etiam accidentaliter tantum usu rationis privatos, in ipsam legem humanam.

Dubium tertium. Circa subjectionem hic et nunc legi proprie dictæ 255

Dubia de peregrinis et vagis directe solvi possunt.

Dubium præsens est de eo qui dubitat an sit in territorio.

Articulus V. Dubia circa qualitatem et quantitatem obligationis objectivæ inducendæ.

I. *De qualitate obligationis* 256

Varia dubia proponuntur. Monitum de duplici legis interpretatione. De regulis interpretationis. Quid hic debita examinandi diligentia comprehendat. — Præmittitur solutio dubii circa ipsam interpretationem; solvuntur dubia initio posita : monitum de lege irritante — solutio generalis — speciales.

II. *De quantitate obligationis.*

Dubium 2ᵉˣ : 1ᵐ an voluerit superior sub gravi præcipere 260

2ᵐ an materia sit capax gravis obligationis. 261

Quid requiratur ut contra superiorem concludatur.

§ II. *Quod spectat obligationem extinguendam.*

Articulus I. Generatim definiuntur inquirenda, et solvuntur dubia non pertingentia ad probabilitatem.

I. Quæ sint inquirenda 262

Obligatio extinguitur vel 1° generaliter — *a*) ex toto — *b*) ex parte; potest etiam suspendi tantum; de extinctione per non usum; vel 2° particulariter.

II. Generali modo solvuntur dubia negativa de re præsente 263

Articulus II. De probabilitate obligationis extinctæ . . . 264

I. *De obligatione generaliter extinguenda.*

Dubium primum. De revocatione probabili 265

Dubium secundum. De probabili abrogatione vel derogatione . . . . . »

I. De facto : an sit *a*) lex aut *b*) consuetudo abrogans . 266

Ratio discriminis hac in re inter legem et consuetudinem.

II. an *a*) legis abrogantis obligatio in subjectivam transeat, *b*) consuetudo sit legitima, *c*) lex adhuc vigorem habeat. 267

III. Si lex aut consuetudo probabiliter tantum abrogant aut derogant. . . . . »

Dubium tertium. De probabili cessatione finis legis. . 267
Dubium quartum. De probabili morte præcipientis . . 268
II. *De obligatione particulariter extinguenda, seu de causis eximentibus.*
Dubium primum. De privilegio probabili . . . . . »
Dubium secundum. De epikeia probabili 269
Nulla contradictio cum dictis de extensione potestatis superioris 271
Dubium tertium. De præsumpta licentia 272
Quando licentia sit vere probabilis. Quid de licentia requisita ad valorem.
Dubium quartum. De dispensatione probabili . . . 273
Non agitur de requisita ad valorem. — Dubium est 4ex :
I. De dispensationis valore et existentia. Quatuor causæ dubii . . . . . »
II. De ejusdem sensu et extensione 275
III. De ejus probabili cessatione. . . . . »
IV. De dispensatione præsumpta . . . . . »
Discrimen cum licentia præsumpta.
Dubium quintum. De exeunte e territorio 276
Caput II. — Dubia circa obligationem ex lege naturæ . . . . »
1° Quod spectat obligationem objectivam inducendam . »
2° Quod attinet obligationem eamdem extinguendam . 277
Quomodo fiat dispensatio in lege naturæ. Quomodo non mutetur lex naturæ, sed eidem possit subtrahi materia. Quomodo dicant Salmant. locum esse epikeiæ in lege naturæ. — Duplici tantum modo contingit dubium circa obligationem naturalem.
Caput III. — De dubiis circa legis applicationem, seu transitum obligationis objectivæ in subjectivam 279
Monitum servandum ex supra dictis. Duplici modo contingunt hæc dubia : altero modo, propter sensum ambiguum, quod est legi positivæ proprium ; altero vero, propter incertam proprie applicationem, quod est utrique legi commune, cum aliquo discrimine. Hoc alterum dubium oritur ex diversis causis :
1ª causa. In dubio de causa excusante. 281
2ª causa. In dubio facti inducentis obligationem.
a) Dubium de existentia illius facti. Variæ solutiones. »

b) De qualitate facti, actus valore 282

5ª causa. *a*) In dubio de ablato facto inducente obligationem 284

Varia dubia pro variis causis, quæ factum illud tollere potuerunt. Solutiones speciales quinque. Solutio generalis.

b) In dubio de lege impleta . . . . . n

Solutionis principium. Annectitur 2^{ex} quæstio :

Iª quæstio. De modo solvendi hujus dubii de legis impletione, apud S. Alphonsum 285

Apud S. Alphonsum 2_{ex} series solutionum occurrit. Limitatio quæ ex mente S. Doctoris alteri seriei apponitur, non sufficienter res conciliat. Concluditur aliqua de facto inconsequentia. — Inquiritur in rationes a sancto auctore allatas. Distinctio duplicis probabilis solutionis, juxta quam distinctionem intelligenda solutio S. Alphonsi. At nec ita fit conciliatio. Concluditur in ipsa quæstione juris et applicatione principiorum defectus aliquis, qui in ipsa expositione systematis moralis radicem habere videtur. Brevis analysis systematis moralis : 2^{ex} principium reflexum, — vere distinctum ex S. Alphonso — at *lex incerta* dictum est æquivocum — et ita hoc 2^{m} principium videtur ipse explicare, ut ad 1^{m} reducat — atque hæc ratio est confusionis seu inconstantiæ in solutione quæstionis præsentis.

IIª quæstio. An eadem solutio valeat, ubi agitur de solutione probabili debiti ex justitia. 291

1° Difficillime adest mera probabilitas facti solutionis. 2° Suppetit solutio indirecta. 3° Solutio directa. Assertum 1^{m} : potest creditor in casu petere solutionem, et si fiat, accipere. Assertum 2^{m} : non tenetur debitor solvere. Ratio. Tota difficultas : an probabilitas facti speculativa transeat in probabilitatem juris practicam; hic non valet : debitum possidet donec sit solutum ; nec : debito certo non satisfit per solutionem dubiam. Solvuntur objectiones. Aliæ solutiones rejiciuntur. Discrimen inter forum internum et externum, in re præsenti.

ERRATA PRÆCIPUA : CORRIGE :

Partis I^a^, fundamentalis, omissum titulum supple ex indice.

Pag. 13, *lin.* 8 : omissa nota marginalis : *Finis ultimus determinate consideratus, objectivus et formalis.*

Pag. 14, *lin.* 1 : quæ — qui.
» 36, *lin.* 3 : eadem — eædem.
» 75, *nota* (2), *lin. penult.*, aliosque — aliique.
» 117, *lin.* 34, regulam 1^m^ — regulam unicam.
» 163, *lin.* 5, explicatione — applicatione.
» 201, *lin. penult.*, nota (1) — nota (2) in præced. pag.

Reliqua benignus lector facile corriget.

DE DUBIO SOLVENDO

IN RE MORALI.

PARS PRIMA.

FUNDAMENTALIS.

Principia alia recte formandae conscientiae.

1. Cum in quavis quæstione scientifice perscrutanda, quæ fundamenti instar supponuntur piaculum esset omittere, necessarium duximus in ipso limine hujus dissertationis, ea ante oculos ponere principia, quæ velut ultimam totius materiæ tractandæ radicem exhibent atque semina solutionis evolvenda in se præcontinent, principia nempe moralitatis. Eadem tamen potius breviter exponere libet quam ex professo explicare atque demonstrare, ne ultra limites excrescat hujus opusculi moles et in iis quæ minus prope ad rem nostram pertinent tempus terere videamur; eo majori nihilominus cum amplitudine res explanabimus quo propius eædem accesserint ad principale propositum. Qua in re, si ab indole dissertationis quæ amplam restrictæ quæstionis tractationem videtur expetere, nos recedere quis arbitretur, advertat nec simpliciter ea fundamenta ut ab aliis posita atque cognita negligi æquum fuisse; nec ex integro propriæ dissertationis naturæ ideo nos valedicere, eo vel magis quod et dispersa per varios locos colligere et uno conspectu novaque methodo oculis subjicere, ab illa natura minime sit alienum. Sit itaque duplex hujus primæ partis sectio: prior, de moralitate in genere; altera evolutior, de conscientia.

SECTIO PRIOR.

DE MORALITATE IN GENERE.

2. In hac sectione priore (1), methodo analytica, quæ inquisitioni propria est, ad suprema morum principia ascendere conabimur, scrutando naturam ipsius actus moralis; quo præstito, synthetice eadem principia in particulari brevissime declarabimus; tandem complementi instar addemus quæ de actu supernaturali in ordine præsenti historico generis humani, ex dogmaticis disciplinis annotanda censemus.

Caput Primum.

DE NOTIONE MORALITATIS, SEU BREVIS ANALYSIS ACTUS MORALIS.

3. Homo, pro natura sua composita duplex genus actionum exercet : alias corporeas et animales, alias spirituales quæ ipsi ut creatura rationalis est, sunt propriæ. Ulterius duplici modo diverso singula actionum genera exercet : potest enim actiones quæ secundum substantiam cum brutis communes habet modo sibi ut creaturæ rationali agenti proprio efficere, cum deliberatione scilicet et imperio rationis, et ita fiunt hæ actiones non actus hominis tantum secundum substantiam, sed humani, id est, humano modo exerciti. Similiter actiones ex facultatibus sibi propriis aliquando ponit ad modum agendi brutorum, ex imperfectione *ad unum determinata*, ut dicunt, voluntate; potest vero easdem actiones humano modo ponere, id est, libere, aut saltem nonnisi ex perfectione *determinata ad unum* voluntate, quod tunc contingit tantum cum bonum infinitum in se apprehensum attingit voluntas.

Actus humani notio.

(1) Lege S. Thomam, 1ª 2æ, QQ. 1ª—21ª; et ejus commentat. in hasce quæstiones, inter quos Lessium, *de Beat. et act. hum. prælect. theol. posthumæ.*

Talis itaque hominis actus, qui homini agenti qua tali proprius est non secundum esse solum et substantiam, sed secundum solum etiam modum operandi, merito *actus humanus* vocatur. Cum tamen in statu viæ, modus operandi undequaque homini proprius, sit libere operandi, eaque libertas necessaria sit ad hoc ut homo sit actionis suæ dominus et eadem actio sit illi imputabilis, soli actus a libera voluntate procedentes, actus humani theologice vocari consueverunt.

Actus humani duplex elementum.

4. Porro, sicut in omni actu duplex quasi elementum, objectivum aliud, aliud subjectivum mente distinguere possumus, ita in actu humano duplicem rationem componentem deprehendimus : aliam objectivam, quæ ab extrinseco in subjectum influit, ut materia activitatis suæ ab eodem assumitur atque simul terminus ejusdem activitatis constituitur; aliam subjectivam ab intrinseco e potentiis ipsius agentis exeuntem, quæ cum ejusdem activitate confunditur.

Elementum objectivum.

5. Elementum objectivum nihil aliud est quam illud ipsum quod vult agens, seu objectum circa quod versatur actus. Potest autem dupliciter considerari :

1° Sub formali ratione bonitatis, sub qua illud apprehendit intellectus et prosequitur voluntas, quæque est ratio finis; ratio enim formalis causalitatis finis in bonitate est objecti, ut ab intellectu apprehenditur.

2° In se et materialiter. Unde dicitur objectum totale actus constare ex materia seu objecto materiali cum suis accidentibus seu circumstantiis, et fine operantis, in quem actio dirigitur. Inde vides *a)* finem non tantum esse præcipuam exterioris operis circumstantiam, sed in actus interioris objectum transire, seu ad formale objectum *talis* actus constituendum cum materia concurrere ut causam formalem cum materiali; atque ita finis operantis cum fine hujus operis formaliter considerati saltem partim coincidit. Inde ulterius intelliges *b)* finem intentum dupliciter considerari debere : 1° in quantum est finis ad volendum et actui præsupponitur ut causa ad agendum movens voluntatem cui ab intellectu proponitur, et sub hac ratione est bonitas objecti

apprehensa, ut movens; voluntatis enim objectum formale quod propter se et primario intenditur, reliqua autem propter ipsum, bonitas est; tunc dicitur etiam considerari finis ut est in actu primo. 2° In quantum est finis volitus et actum voluntatis supponit; ut causa formalis respectu materialis objecti voliti; et sub hac consideratione est ipsum objectum quatenus bonum, ut terminus tendentiæ voluntatis (1), et dicitur etiam considerari ut est in actu secundo.

Alia adhuc est consideratio finis, non ut est intentus et terminus alicujus in ipsum relati; sed absolute et secundum se, prout eum attingunt simplex volitio et fruitio. Ex quibus de fine notionibus deducere poteris : omnes actus liberos hominis. simplicem nempe volitionem ; intentionem finis; consilium, consensum et electionem mediorum; usum tandem et imperium in ordine executionis, esse propter finem; sola excipitur fruitio quæ non est proprie propter finem ut causam finalem sed ut formalem extrinsece specificantem (2).

Elementum subjectivum.

6. Elementum subjectivum est 1° ipsa activitas intellectus cognoscentis finem eumque voluntati proponentis, et 2° activitas voluntatis in actum exeuntis, a fine motæ tendentisque in objectum vel fine fruentis.

7. Jam in omni actu humano ita constituto, duplex esse distinguere oportet secundum duplicem habitudinem sub qua considerari potest : esse naturale seu physicum et esse morale.

In actu humano duplex esse : physicum et morale.

Esse physicum consistit in habitudine ad objectum formale in quod tendit actus et ad potentiam a qua aptus est immediate procedere; esse vero morale, in certo ordine conformitatis vel difformitatis, ad dictamen rectæ rationis posita activitatis libertate saltem ubi de statu viæ agitur.

Altius porro ascendendo evidens est dictamen rectæ rationis fundamentum objectivum habeat oportere : cum nec recta sit ratio nisi in quantum conformis est ordini objectivo,

(1) Egregiam explicationem objecti vide apud Sylvium, 1ª 2æ, Q. 18, a. 2, et Ægidium De Coninck, *De Act. supernat.*, disp. 3, dub. 2, nn. 32 et sqq.

(2) Hæc optime et fusius quam hic licet evoluta invenies apud Gonet, *Clypeus theol. Thomist.*, tom. 7, tract. 1, disp. 1; tract. 2, disp. 7.

rectitudini æternæ, nec imperare possit nisi in quantum superioris dictamen seu imperium manifestat. Hæc paucis declaramus. Est aliquis finis ultimus sicut intentionis agentis ita et totius humanæ vitæ : sentit enim se homo in bonum ferri propter ipsum bonum, ab ipsa natura hujusque proin Conditore, qui impulsus naturæ decipere nequit adeoque terminum ultimum objectivum supponit, ad quem homo humanis et liberis actibus pervenire debet ut ad finem proprium suæ naturæ, cujus possessio simul sit ei perfecta felicitas. Jamvero finis ille exigit determinata media : est enim intrinsecus et primævus ordo inter talem naturam tali modo operantem et suum finem, qui ordo ex ipsis rerum essentiis determinatur, adeoque in essentia divina fundatur et conformiter ad conceptum divini intellectus a voluntate Dei imperatur : unde evidens est hunc ordinem necessarium a Deo imperatum rationem habere regulæ objectivæ operationum omnium quibus in finem tendit illa creatura, et intellectum apprehendentem hunc ordinem regulam objectivam moralitatis cognoscere eamque voluntati proponere atque dictare. Elementum itaque objectivum actus antecedenter et independenter ab activitate quæ circa illud versatur illudque participat sub ratione moralitatis, regulam habet objectivam, incommutabilem, æternam cui si conforme sit, rectum erit.

8. Quod elementum itaque objectivum attinet, consistit moralitas proxime in certo ordine ad dictamen rectæ rationis. Si elementum objectivum sit conforme dictamini approbanti erit moraliter bonum, et participatum ab agente per elementum subjectivum faciet actum formaliter bonum. Potest elementum objectivum actus saltem secundum speciem sumpti, esse conforme dictamini permittenti tantum seu non difforme a dictamine approbante, tunc autem ut actus fiat formaliter bonus, oportet fiat relatio ulterior ad finem positive honestum; abstrahendo enim ab illa relatione, actus est indifferens seu materialiter tantum bonus, non eo quidem sensu indifferens quod secundum speciem consideratus aptus sit ut in individuo bene vel male fieri

Esse morale in elemento objectivo.

Actus bonus.

Actus indifferens.

possit, ut sunt omnes actus exteriores virtutum et ex adverso illi quos male sonantes vocant (1), sed ita ut per se et solitarie absque nova formalitate ei in individuo accedente, non sit proprie bonus et laudabilis, aut malus moraliter (2).

Actus malus. Si tandem unum ex iis quæ elementum objectivum constituunt, etiam circumstantia, difforme sit a recta ratione, malum erit moraliter tale objectum, et activitas illud participans actum malum producet : tunc enim circumstantia *talis* manens respectu prioris speciei moralis ex objecto seu materia, tribuit novam speciem seu transit in objectum totale talis actus; si reliqua bona erant, ipsa tribuit primam speciem moralem malam. Bonitas enim debet intentione directa saltem confusa non tamen reflexa intendi, malitia vero nullo modo. Ratio horum est quia bonum ex integra causa dicitur : malum autem ex singulis defectibus, ut ait Dionysius c. 4. *de divin. Nom.*, id est, ut aliquid bonum sit requiruntur omnia quæ ad ejus perfectionem spectant, ut malum sit sufficit defectus vel unius illorum requisitorum.

9. In elemento subjectivo, libertas se habet in actu humano ut quid accidentale, si actus consideretur præcise secundum esse physicum, ut potestate duntaxat habens

(1) Vide S. Thom., *quodl.* 9, a. 15.

(2) An possit esse de facto actus *in individuo* indifferens seu matérialiter tantum bonus, celebris est controversia. Vide S. Thom. Q. 18, a. 9, ejusque comment. inter quos Lessium, op. cit. in h. l., et ex adverso Gonet, *Clypeus*, tom. 8, disp. 5, art. unic., apud quos reliquos citatos reperies. — Tota difficultas in eo est : utrum relatio in finem ex se honestum, quæ necessaria est ut actus sit honestus, etiam requiratur ne actus sit malus, et a natura rationali exigatur ut omnia opera ad finem honestum referantur, ita ut malum sit velle quod per se et solitarie, ut in textu definivimus, est indifferens; ac porro : e converso utrum eo ipso quod actus individuus malus non sit, de facto idem sit honestus, ita ut bonum inferius et commodum ad quod natura composita inclinat, ratione ac voluntate appetere, modo qui non adversetur honestati, jam sit honestum, eo quod talis dici possit et debeat habitus subordinationis partis inferioris parti superiori, et boni delectabilis bono honesto, ut ex sola generali intentione naturæ, absque intentione agentis saltem confusa illius habitudinis, sed ex sola absentia intentionis oppositæ, agens referat suam actionem in finem honestum, sitque hæc actio non tantum materialiter sed formaliter honesta.

esse morale ; si vero consideretur ut habens illud esse actu et formaliter, essentiale fundamentum est saltem in statu viæ, libertas. Dicimus *essentialiter* requiri libertatem *in statu viæ* : quod ut intelligas, observa 1° quoad libertatem : eam formaliter esse in voluntate, radicaliter autem in intellectu quatenus hic objectum perceptum proponit cum indifferentia activa voluntati : si igitur infinitum in se apprehendit ut in se est vel saltem ita clare ut non possit cum activa indifferentia illud proponere voluntati, exercitium libertatis deficit non ex imperfectione sed ex perfectione ; si vero solum finitum apprehendit, aut infinitum absque illa sufficiente claritate (et in hoc est imperfectio et defectus), illud semper proponit cum indifferentia activa, quo casu si adversetur bonum apprehensum bono infinito et vero, libertas quidem manet sed non ut perfectio, quin potius ut deflectibilitas a bono et perfecto. Jam vero 2° in statu viæ, licet a fine ultimo universaliter moti, i. e. a bono seu felicitate, hanc tamen non apprehendimus aut ut terminum attingimus tanquam determinate summum bonum, ut in se est et integrum, sed in genere tantum, prout est quasi per particulas in finitis bonis, in quæ proinde, licet ubique felicitatem necessario non libere quæramus, non necessario sed libere tendimus : et ideo existit regula morum ad sanandum defectum in libertate, quæ regula frustra adhiberetur voluntati ex natura sua determinatæ ad unum, sine ulla libertatis perfectione. Sed cum non in hoc consistat libertatis perfectio quod bonum verum et falsum sub specie veri apprehendere et prosequi possimus, sed bona quæ ad infinitum vere ducunt aut saltem ei non adversantur, libere appetamus ; et, cum in termino bonum infinitum in se apprehensum necessario rapiat voluntatem, deficiente libertatis exercitio ex perfectione, ac simul existente summa conformitate actus ad rectam rationem imo perfecta conjunctione cum suprema morum regula, merito actus ille in termino, humanus et summe moralis dicetur; ablata tantum libertate

Esse morale in elemento subjectivo.

peccati seu deflectibilitate a bono in iis quæ necessario connectuntur cum fine ultimo possesso (1).

Diximus autem *fundamentum*, non ipsam formaliter moralitatem, quia libertas pertinet ad ordinem physicum, et in actibus humanis prior concipitur moralitate.

Elementum materiale et formale moralitatis.

10. Corollarium 1m. Ex dictis intelligitur actum humanum præcise secundum se esse elementum quasi materiale moralitatis, in ordine vero proportionis ad finem vel disproportionis secundum rectam rationem haberi elementum formale moralitatis.

Species moralis actus.

11. Corollarium 2m. Actus speciem moralem desumit proxime ex solo suo elemento objectivo, et quidem primam et essentialem ex solo objecto in prima sua formalitate morali considerato, remote vero ex quo hoc ipsum elementum objectivum speciem habet (2). Ratio patet : actus enim ejusdem facultatis, puta voluntatis de qua hic agitur, specifice

(1) Nullus igitur actus noster proprie humanus et moralis est in statu viæ quin sit deliberatus et liber; vide S. Thomam 1a 2æ, Q. 1, a. 1; coll. 1a, Q. 82, a. 1, ad 3m; et 1a 2æ, Q. 18, a. 9. In statu vero termini, amor beatificus et actus cum eo necessario connexi, deficiente libertate juxta modum operandi perfectum homini qua tali proprium in illo statu, merito dicuntur actus humani et summe morales. Cfr. Bouquillon, *Theol. mor. fundam.* l. 1, n. 30, nota (2). Ita et in Christo qui mirabiliter in vita mortali utrumque viatoris et comprehensoris statum conjunxit, non debemus requirere libertatem, ut actus cum amore Dei connexi dicantur humani et morales. Actus itaque humani et moralis notio absque libertate actuali consistit, attamen ut actus sit moraliter imputabilis et meritorius aut demeritorius requirit exercitium actuale libertatis, et illud ipsum supponit moralis seu proprie dicta obligatio quæ secus esset inutilis et impossibilis seu potius esset necessitas physica.

(2) Non video quomodo id possit in controversiam venire, et de sententia Thomistica et Scotistica sermo fieri; cæterum quod plerique Thomistæ dicant species malitiæ distingui per ordinem ad objecta specie distincta in genere moris, non pugnat nec quoad rem ipsam discrepat a regulis quas alii tradunt : species malitiæ oriri ex oppositione ad diversas rectitudines, aut diversa oppositione ad eamdem; et, quæ a priori regula non adæquate distinguitur : species malitiæ oriri ex formali diversitate legum quæ violantur. Hæ regulæ potius de radice remota, unde ipsum elementum objectivum speciem habet, intelliguntur; dictum vero Thomistarum de specie actus valet. Nos infra de radice remota agimus, nn. 25 sqq.

non distinguuntur nisi pro diversis suis objectis, unde ratione diversæ speciei moralis objectivi sui elementi, cujus moralitatem participat elementum subjectivum, specifice diversi constituentur in moralitate : adeoque tot erunt species morales distinctæ in uno actu, quot sunt in suo elemento objectivo. Potest esse una tantum, quando nempe nullus finis extrinsecus accedit sed finis operis simul est adæquate finis operantis, nec ulla circumstantia adest nisi mere talis seu quæ non transeat in objectum (1) ; aut quando cæteris paribus, objectum indifferens ad finem bonum refertur ; vel tandem in actu malo, quando, cæteris paribus, objectum bonum aut indifferens in finem malum refertur, aut circumstantia mala actum bonum corrumpit, juxta modo dicta de actu malo. Possunt etiam esse plures species morales in uno actu : ita erit in actu bono, si objecto (moraliter intellige non physice) bono, superaddantur novæ formalitates morales bonæ ex fine extrinseco bono, et circumstantiis transeuntibus in objectum ; in actu malo, si totidem enumerata sint mala.

12. Corollarium 3^m^. Quantitas bonitatis et malitiæ actus et proin species quam theologicam vocant, gravis seu mortalis et levis seu venialis malitiæ, item ex elemento objectivo desumitur prout a subjecto participatur. Ut itaque actus sit graviter malus, oportet elementum objectivum graviter repugnet regulæ morum (de qua re, infra) et simul perfecte participetur ab elemento subjectivo. *Quantitas bonitatis et malitiæ.*

13. Corollarium 4^m^. Ad utrumque idem elementum attendendum est in dubio an unus sit actus numerice, an vero plures. 1° Elementum objectivum potest esse complexum et quidem duplici modo *a)* potest esse ita constitutum ut in executione requirat plures actus diversarum facultatum, qui vel uni actui elicito voluntatis, vel pluribus ejusmodi actibus respondeant. Si illi priores actus sint mere imperati ab uno voluntatis actu, erit unus numerice actus in genere moris. Si vero interveniat præter primum actum voluntatis *Distinctio numerica.*

(1) Quæ circumstantia talis sit ut transeat in objectum, apparebit infra nn. 25 sqq.

imperantem, alius actus vel plures alii actus imperati voluntatis qui simul sunt eliciti sive actu sive virtute, nova erit vel plures novæ moralitates et actus morales distincti (1). Ita in unico actu indivisibili voluntatis quo quis vult occidere plures homines, unica numero est malitia. Nam unica bonitas est velle dare eleemosynam tribus : privatio autem est proportionata habitui et malitia est privatio debitæ bonitatis. Nec obstat unumquodque ex illis objectis posse terminare per se actum sibi adæquatum, quia ut cadunt sub talem actum, nullum sufficit per se ad illum terminandum sed tantum omnia conjunctim et per modum unius. Si vero successive occidit tres deliberate, non præcise ratione personarum sed ratione voluntatum occidendi, sunt tres numero actus, quia licet præcesserit una voluntas occidendi tres, occisio tamen specialis uniuscujusque supponit voluntatem deliberatam occidendi illum in singulari, licet procedat virtute prioris magis generalis. Hæc quoad rem ipsam non discrepant a regula ab auctoribus tradita : actus numerice distingui et multiplicari ex multiplicatione objectorum totalium ; per objectum totale intelligendo quod non est pars alterius nec ad alterum refertur, aut quod ex diversis partibus ita constat ut omnes ad invicem relatæ in unum tendant. *b)* Potest elementum objectivum ita esse complexum ut, licet in executione non exigat plures actus, plures tamen contineat species malitiæ sive moraliter distinctas, sive ad eamdem speciem moralem spectantes sed exurgentes ex circumstantiis diversis addentibus speciem, ut in adulterio conjugati cum conjugata plures sunt species injustitiæ. Tunc autem idem dicendum est ac modo dictum fuit. Nam, agens vel intendit omnes rationes habentes speciem moralem in elemento objectivo ; vel aliquas aut unam tantum intendit, reliquas tamen attendens ut ponimus, easdem vult saltem, quia sunt ab actu physice exequendo inseparabiles : ut v. gr. adulter intendens rationem quæ contra castitatem est, vult tamen necessario injustitias inseparabiles. Jam

(1) Hæc melius intelligentur ex infra dicendis cap. II, § II, De Facultatibus animæ.

vero quot rationes malas explicite intendit, tot sunt intentiones quia posset unam intendere sine alia. Si vero unam intendat, videt tamen simul se efficaciter non posse excludere voluntatem reliquarum in actu ponendo ab illa inseparabilium, adeoque prior illa intentio imperat actum voluntatis circa reliquas rationes malitiæ, qui actus imperatus voluntatis accedente deliberatione simul est elicitus procedens ex nova deliberatione rationis. Adeoque multiplicantur actus pro numero malitiarum, saltem virtualiter, ita ut in priore voluntate generali et confusa totius operis includantur; accedente autem majori deliberatione circa singulas malitias, hisce singulis respondent actus voluntatis(1). 2° Ubi

(1) Ex dictis intelliges quomodo sit solvenda controversia quam inducit S. Alphonsus L. II, n. 45, (edit. Heilig, Mechliniæ, 1852, quam deinceps adhibemus). Aliquo enim sensu possunt esse plures malitiæ in uno actu : virtualiter videlicet et implicite, et verum tamen est : sicut in eodem subjecto nequeunt esse plura accidentia numero distincta, ita nec plures malitiæ numero distinctæ actu et explicite in uno entitative actu. Utrumque porro assertum non repugnat regulæ : multiplicari actus ex multiplicatione objectorum totalium, nam ut explicat ipse Laymann quem tamen ut contrarium citat S. Alphonsus : « Numerica distinctio objecti si tantum *materialis* sit... non facit plura numero peccata... Secus si objecti multiplicatio sit *formalis* sive in ordine ad actum, quia voluntas quasi pluribus actibus in objectum tendit... Cum enim actus internus essentialem ordinem gerat ad actum externum : ideo si externus sive objectivus unitatem non habet, etiam actus internus virtualiter in genere moris multiplicatus censetur. »

Unde de exemplo conjugati cum conjugata adulterantis dicendum est ut supra. Ibi vero iterum neque proprie unum est objectum totale formaliter consideratum, cum non referantur ad unum illæ diversæ rationes malitiæ, quin potius vellet agens plerumque eas ab invicem separari posse, et potest certe separatim intendere reflexe, neque tamen simul partes illæ materialiter sunt distinguibiles sed ita connexæ ut qui vult actu elicito unam malitiam et imperat eam, virtualiter imperat actus voluntatis circa reliquarum singulas : actus autem illi imperati cum simul sint eliciti post considerationem illarum novarum malitiarum, novam moralitatem contrahunt, et ita licet injustitia erga propriam conjugem non dicatur specie differre ab illa contra conjugem alterius, tamen vere numeratur ut nova malitia et novum inducit peccatum. Si vero supponas plures malitias intendi, tum reipsa habes objecta totalia formaliter distincta et tot sunt intentiones quot sunt objecta reflexe intenta independenter ab invicem, licet materialiter et physice inseparabilia. Unde etiam licet concludere melius statui regulam ut fecimus, aliam tamen ad rei intelligentiam conducere.

elementum objectivum non est ita complexum, potest ex parte elementi subjectivi dubium oriri utrum unus an plures sint actus : an unus nimirum perduraverit actus, an vero fuerit interruptus et multiplicatus. Sufficiat annotare actum moraliter interrumpi tripliciter : *a)* per retractationem voluntatis formalem aut virtualem, *b)* per cessationem voluntariam ab actu, *c)* per moram sat notabilem, de qua prudenti æstimatione judicandum est, pro natura et intensitate actus cæterisque adjunctis.

14. En jam suprema actus moralis principia deteximus quæ tria sunt : causa finalis, finis ultimus ; causa efficiens, natura rationalis ; causa exemplaris, regula seu lex æterna. De quibus nunc in particulari brevissime dicam ; hoc tamen prius sedulo notatum velim : hæc principia *ultima actus moralis* non esse confundenda cum fontibus seu principiis *moralitatis* alicujus actus (*proximis* nempe), quo nomine vocant *objectum* actus et *circumstantias*, inter quas speciatim utpote præcipuam numerant *finem*, qui etiam sub objecto formaliter considerato reduci potest. Hæc autem tria : objectum, finis et circumstantiæ melius vocantur *objectiva elementa actus moralis* vel *principia proxima moralitatis* actus.

Caput Secundum.

DE PRINCIPIIS ACTUS MORALIS IN PARTICULARI.

§ I. *De Fine ultimo.*

15. Scopus supremus nobis tanquam sagittariis propositus ad quem in omnibus collimare debemus, finis est, qui licet in assecutione sit ultimus, primus tamen est in intentione adeoque in cognitione, siquidem nihil volitum quin præcognitum ; et, ut advertit S. Thomas, finis ultimus se habet in moralibus sicut primum principium in speculabilibus, cujus

cognitio præsupponi debet tanquam cæterarum omnium fons, radix et cardo (1).

16. Finis absolute ultimus humanæ voluntatis universim et abstracte consideratus continetur objective bono seu perfectione in genere, formaliter felicitate seu optime esse. Etenim « finis... uniuscujusque rei est ejus perfectio, perfectio autem cujuslibet est bonum ipsius; unumquodque igitur ordinatur in bonum sicut in finem » (2). Particulariter vero et determinate consideratus nequit finis ille in ullo bono creato atque finito consistere sed in solo summo bono qui Deus est : si enim homo movetur a fine et tendit in finem sub ratione boni, prima causa movens et ultimus finis non potest esse nisi summum bonum. Quod enim maximum est in unoquoque genere, causa est omnium quæ sunt in illo genere, in eo genere causæ in quo est maximum. Sicut itaque Deus, ens infinitum causa prima est omnium quæ sunt, ita ut summum bonum est causa finalis et ultimus finis omnium. Felicitas autem formalis est in conjunctione cum summo bono ejusque possessione per intellectum et voluntatem, seu cognoscendo illud, illoque per amorem et gaudium fruendo; neque hæc doctrina adversatur huic alteri : Deum necessario finem ultimum omnibus suis operibus præstituisse manifestationem gloriæ suæ, cum in creatura rationali formalis gloria Dei sit cognitio et amor divinæ perfectionis, in quibus præcise est ejusdem creaturæ felicitas. Finis igitur hic homini quasi internus est conditio ut externum illum prosequi possit, qui est absolute ultimus nec frustrari potest, utpote quem in justa damnatione attinget qui suum in felicitate non fuerit adeptus.

Finis ultimus abstracte consideratus, objectivus et formalis.

Finis ultimus determinate consideratus, objectivus et formalis.

In omnibus igitur actibus suis voluntas naturaliter agit propter felicitatem seu finem ultimum in genere intentione saltem interpretativa, quæ ex natura operis sive ex naturali perfectione voluntatis censetur esse, etiam in iis actibus

(1) De hisce notionibus circa finem ultimum et beatitudinem tum in ordine naturæ, tum in ordine præsenti supernaturali, vide opusc. Lessii, *De Summo Bono*.

(2) S. Thomas c. Gent. L. III, c. XVI.

quæ veræ beatitudini assequendæ adversantur, ita ut habitudo particularium bonorum seu finium ad finem absolute ultimum non tam medii ad finem sit quam partis ad totum.

Quomodo necessario

17. Naturaliter itaque et proin non libere vult et appetit homo bonum in communi et omnia quæ ipsi secundum naturam conveniunt, ut vivere, intelligere etc., licet a nullo particulari bono in hac vita necessario moveatur secundum exercitium actus, sed secundum speciem tantum. Ita naturaliter in omnibus appetit felicitatem implicite, potest autem et explicite appetere, quæ appetitio « ex necessitate est quantum ad determinationem actus, non autem quantum ad exercitium actus quia potest aliquis non velle tunc cogitare de beatitudine » (1).

Quomodo libere in eum feratur homo.

In finem vero ultimum in particulari, qui Deus est, non fertur homo appetitu naturali, quoniam fieri potest ut ne cognoscat quidem eum explicite, imo, cum cognoscit, numquam tamen hac in terra sufficiente claritate bonum infinitum apprehendit ut illud absque indifferentia activa voluntati proponat, et inde libere sistere potest vel in vero bono vel in falso quod quidem ut aliquo modo bonum apprehendit sed a fine ultimo difforme cognoscit. Implicite igitur toties in Deum tendit quoties ob finem honestum agit.

Qui actus implicite in Deum tendant.

18. Ex dictis satis constat finem ultimum primum esse et universale movens, ut revera Deus est prima causa cum in ordine physico tum in ordine morali, et simul ultimum esse motionum omnium terminum, necessarium, necessario unicum, cui proportionari debent media ut sint apta, ex qua proportione et ordine mediorum seu actuum ad finem videbimus oriri regulam.

Finis igitur merito ultimum ac supremum dicitur moralitatis principium.

(1) S. Thom. *de Malo*, q. 6, a. unic.

§ II. *De Facultatibus animæ.*

19. Facultates animæ, intellectus nempe et voluntas causa sunt efficiens proxima actus moralis ; simul vero intellectus per judicium seu dictamen suum practicum, aliis verbis conscientia rationem habet regulæ proximæ actus moralis : quod quia propius ad rem nostram pertinet, amplius exponetur in speciali sectione II[a], post explicatam ipsam regulam objectivam.

Duplex intellectus functio in ordine ad actum moralem.

20. Ut causa itaque efficiens actus moralis, primus est intellectus, cujus in hoc ordine primus actus est cognoscere finem, i. e. apprehendere materiam actus eamque sub ratione boni seu appetibilis et mali seu fugiendæ, adeoque ut appetibilem at recusabilem voluntati proponere, et in hoc pertinet ad causæ finalis moventis applicationem : movet autem, ut patet, secundum specificationem actus, non vero ad actus exercitium, nam ita voluntas supposita utique motione universali causæ primæ hujusque concursu, et prælucente intellectus propositione, seipsam movet ad actum formaliter ut est libera, imo et alias movet animæ potentias quæ non sunt semper in actu et a natura applicatæ ad agendum, ipsumque etiam intellectum a quo fuit illuminata, in ordine ad alium actum qui sit judicium prælucens novo actui voluntatis.

Prima functio.

21. De alia functione intellectus in ordine ad moralitatem seu de apprehensione moralitatis formalis ejusque propositione voluntati, seu in quantum applicat regulam morum agenti, ut jam animadvertimus, amplior erit infra dicendi locus. Melius nunc quæ ad priorem respectum causæ efficientis pertinent, notiones circa intellectum et voluntatem complebimus, saltem quæ magis ad rem nostram, ubi præsertim de probabilitate agendum erit, utiles et necessariæ videntur : quæ enim de voluntario ac libero, ejusque impedimentis, brevitatis causa, omittere cogimur, sola generali notione actus humani et moralis contenti, apud omnes auctores reperiuntur æqualiter, ad quos eo meliori jure remittimus,

Altera functio.

quod non instituendis tyronibus incumbimus sed potius doctorum judicium subire cogimur. Pauca itaque addemus de intellectus et voluntatis relationibus ad invicem in ordine ad actum moralem ; res quæ præcipue explicationem meretur et magis usui erit, ea est quam modo attingebamus de actu imperante et imperato, seu generatim de imperio intellectus et voluntatis. Ponamus itaque saltem conclusiones, quas demonstratas invenire est apud S. Thomam ejusque commentatores, ut supra. Imperium est essentialiter actus rationis, supponit tamen actum voluntatis cujus virtute moveat ad exercitium actionis : potest porro sumi proprie ut est ad alterum, et ita est actus intellectus formaliter non voluntatis, vel generalius ut dicitur una potentia imperare alteri, et hoc sensu etiam actus voluntatis efficax et judicium practicum dirigens operationem recte dicitur imperium adeoque pertinet sub diverso respectu ad intellectum et ad voluntatem. Jam hoc intellectus judicium seu imperium præter quod verius videtur non requiri ulterius explicitum imperium : Fac hoc (imo ad quod videtur sufficere apprehensio objecti sub qua implicite tamen continetur judicium de illius convenientia vel ejusdem defectu), judicium istud, dico, semper in statu viæ proponit objectum voluntati cum indifferentia activa, adeoque est radix libertatis.

Imperium.

Proprie sumptum.

Latius sumtum.

Late dictum imperium intellectus.

Voluntatis.

E contra imperio voluntatis non resistitur, ita ut tota libertas actuum a voluntate imperatorum sit formaliter in sola voluntate et tantum denominative in ipsis, nisi ipse actus imperatus sit actus voluntatis, tunc autem non est mere imperatus sed simul elicitus, quia non sequitur ex actu imperante sine nova intellectus consideratione, ex quo intelligitur illum solum contrahere novam moralitatem, non reliquarum potentiarum actus. Hæc itaque de actu imperato affirmare possumus : actum cujusvis virtutis imperari posse a quavis virtute, quia quivis actus bonus potest directe volitus esse ex affectu cujusvis virtutis, quæ semper medium esse potest ad alias assequendas ; solum actum imperatum voluntatis contrahere novam moralitatem, quia

Actus imperatus.

Voluntatis qui est simul elicitus.

simul est elicitus, actum vero mere imperatum et actum imperantem, quamvis ratione naturæ valde differant, unum esse tamen in genere moris; eumdem actum exteriorem pendentem a duabus voluntatibus imperantibus posse simul bonum esse et malum; tandem quod sedulo notandum et infra latius exponendum est, actus rationis potest imperari quoad exercitium, si sit actus ille in nostra potestate, secus non; quoad speciem vero nec apprehensio objecti, nec judicium evidens, cadit sub imperio; si vero objectum sit obscurum potest imperari assensus vel dissensus, si sint rationes quæ faciant objectum verisimile, saltem in speciem.

Actus mere imperatus aliarum potentiarum.

Actus rationis quomodo cadat sub imperio.

§ III. *De Regula seu Lege æterna.*

22. Analytice procedendo ab actu ad imperium rationis seu conscientiam obligationis, ad hujus fundamentum objectivum devenimus, legem æternam, et ita Deum invenimus ut finem ultimum et supremam regulam. Non quidem contendimus de facto primam Dei notitiam ita acquiri: licet enim cognitio imperfectior ordinis moralis late sumpti, in primis nempe ejus lineamentis rationi innotescentibus conducat ad Deum sub ratione summi Boni et Finis ultimi, Legislatoris et Judicis tanquam fundamentum, causam nimirum primam exemplarem, efficientem et finalem totius ordinis, absolutæ tamen obligationis notitia implicite saltem supponit cognitionem Dei, qui ut Principium ac supremus Dominus atque Finis ultimus, creaturæ suæ necessario præstituit et imperat adeptionem illius finis adeoque et media ad ipsum, ex quarum rerum consideratione notitia obligationis absolutæ profluit, neque proinde asserimus de facto peccatum aliquod philosophicum esse quod rationalem tantum naturam offendat, quodque cum invincibili etiam Dei ignorantia committatur, nam evolutio rationis sufficiens ad bonum et malum morale cognoscendum certe sufficit ad cognoscendum Deum; sed hoc dicimus aliquod bonum et malum esse ratione et natura prius quam a voluntate Dei

Late sumptus ordo moralis Deum primum manifestat aliquo modo.

Perfecta tamen obligatio Deum cognitum supponit.

etiam necessaria sit volitum et formaliter imperetur vel prohibeatur, quodque proin ideo ad finem ultimum conducit et a Deo imperatur quia bonum est, ideo a fine avertit et a Deo vetatur quia malum : non quod bonum aut malum aliquod sit plane independenter a Deo, sed independenter a libera ejus voluntate, et antecedenter etiam ad voluntatem ejus necessariam : quia ex ipsis rerum essentiis quæ in Deo fundamentale esse habent resultat ordo ille necessarius convenientiæ vel disconvenientiæ ad naturam et finem, quem Deus in se intelligit et consequenter ad intellectionem necessario vult, quæ voluntas hac formula exprimitur : ordinem conservari jubens, perturbari vetans. Unde in peccato ipsa natura prohibito duo sunt : inordinatio etiam antecedenter, et formalis inobedientia consequenter ad voluntatem Dei necessario vetantem. Verum autem peccatum theologicum sine actuali cognitione majestatis et bonitatis divinæ sive explicite sive implicite sub terminis cum illo clariore conceptu convertibilibus cognitæ committi nequit, neque ulla honestas theologica derivatur in actus nostros nisi illi regulentur a cognitione divinæ bonitatis (1).

Peccatum philosophicum et theologicum.

23. Corollaria. Ex dictis intelligitur : 1° primam ac supremam regulam objectivam omnis moralitatis esse a Deo indistinctam. 2° Essentiam divinam esse fundamentaliter illam regulam moralitatis universim sumptæ : quoad aliqua ratione priorem regulam esse divinam sapientiam quam divinam voluntatem, quoad aliqua vero divinam voluntatem liberam, vel posito libero facto Dei, de consequenti necessariam ut in ordine præsenti supernaturali. 3° Licet non omnis Dei voluntas sit nobis regula sed ea qua aliquid vult nos velle, solam tamen divinam voluntatem esse ratione

Voluntas divina regula moralitatis theologicæ.

(1) Si quis timeat ne hæc doctrina comprehendi videatur propositione ab Alexandro VIII damnata de peccato philosophico, ille legat Viva, *Theses damnatæ, de peccato philosophico*, nn. 8 sqq.; et theologos principes : Suarez, *de Legg.* L. II, cc. V et VI; Lugo, *de Incarn.* disp. V, sect. 5; Lessium, *De Perf. Div.*, L. XIII, nn. 186 et 187; Bellarm., *de Sum. Pont.*, L. IV, c. 20, n. 7; Vasquez, in 1m 2æ, disp. 77, et disp. 95 et 96.

nostra primam universalem regulam objectivam omnis moralitatis theologicæ.

24. Scholion. Omnis lex et regula obligans positiva nonnisi a lege æterna vim suam participatam habet, quatenus hæc superiori legitime imperanti obediendum esse statuit. « Unde omnes leges, » ait S. Thomas, « in quantum participant de ratione recta, in tantum derivantur a lege æterna. Et propter hoc Augustinus dicit in 1. De lib. arb. quod in temporali lege nihil est justum ac legitimum, quod non ex lege æterna homines sibi derivaverunt » (1). *Lex positiva participatio legis æternæ.*

25. Ita breviter soluta quæstione de origine objectivæ moralitatis, duo remanent inquirenda, quæ supra jam prænuntiavimus. Primum est : undenam sumat *speciem* moralem elementum actus objectivum. Alterum est : an et quæ distinguenda sit quantitas bonitatis et malitiæ in elemento objectivo actus et unde oriatur. Utrumque autem consideramus abstrahendo nunc a statu historico præsente ordinis supernaturalis.

26. Ad 1^m. Cum moralitas seu bonitas aut malitia alicujus objecti, ut vidimus, oriatur ex ordine et proportione ad finem aut privatione hujusmodi proportionis, species moralis ejusdem objecti desumi non poterit nisi ex diversitate objecti considerati pro modo quo ordinatur in finem aut ab eo divertit. *Species moralis objecti.*

Porro objectum est vel ipse finis objectivus : Deus, sub diversa ratione consideratus, vel medium aliquod ad finem. En duplex quasi genus supremum specierum moralium. Ulterius, loquendo primum de bonitate quoniam malitia ex oppositione ad bonitatem definiri debet : genus illud supremum quod est circa finem immediate, in diversas dividitur species. Dei quippe existentia reali per vires rationis ex creaturis existentibus cognita, et quidem evidenter evidentia tamen deductionis, quæ non omnino tollit libertatem *Species bonitatis.*

(1) I^a 2æ, Q. 93, a. 3. Modum autem quo omnis lex a lege æterna derivatur egregie explicat Sylvius in præsentem locum. Cfr. de derivatione obligationis legis positivæ a naturali lege, eumdem Sylvium in Q. 94, a. 4, in quæsito ultimo.

agnitionis, in sensu diviso a consideratione præmissarum (1), homo consentiente facillime voluntate si non sit mala, præjudiciis imbuta et passionibus obnoxia, Deum cognitum agnoscit, in qua agnitione defuisse gentiles Apostolus testatur : « qui cum Deum cognovissent... evanuerunt in cogitationibus suis... et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis... » (2). Hæc *agnitio* seu firma concurrente voluntate persuasio *Dei existentis, Creatoris et finis ultimi*, quæ cognitionem supponit, quæque in naturalibus respondet fidei in supernaturalibus, adeoque aliquo sensu improprio fides in Deum naturalis vocari potest (3), fundamentum est et radix *fiduciæ in Providentiam divinam*, quæ spei theologicæ respondet, et *amoris Dei ut finis naturalis*, quæ respondet charitati.

27. Aliud genus supremum specierum moralium, quando objectum tum materialiter tum formaliter consideratum non est ipse Deus seu finis sed media ad finem, dividitur in genera proxima quæ quatuor virtutibus cardinalibus continentur, et species infimas sub se multiplices complectuntur. Quæ omnia optime explicata invenies apud S. Thomam (4). Distinctio itaque et nobilitas relativa ad invicem specierum moralium desumitur ex objectis in ordine ad finem seu moraliter consideratis, et majori minorive connexione illorum

Quæ species nobiliores.

(1) Vide infra Parte II, n. 163.

(2) Ad Rom. c. I, vv. 21 sqq.

(3) Hic non loquimur de fide illa imperfecta, qua homo assensu naturali, veritati supernaturali revelatione propositæ, tanquam evidenter credibili, assentiri potest, quamvis ea nec meritoria sit nec principium fidei supernaturalis, ut semi-Pelagiani volebant. Neque loquimur de fide late dicta, qua quis gratia supernaturali illustratus, agnoscat Deum ex manifestatione objectiva naturali seu ex testimonio creaturarum ; quam satis communiter theologi negant esse in ordine præsenti supernaturali ante fidem proprie dictam. De hac fide hoc certum est quod non sufficiat ad justificationem, ex prop. 23ª damnata ab Innocentio XI, 2 Martii 1679. — De hisce quæstionibus lege Lugo, *de Fide*, disp. 12, ubi et citatos invenies alios AA. consulendos, Vegam et Sotum ; Ripaldam ; Suarez, Coninck, etc.

(4) 1ª 2æ, Q. 60, a. 3 ; 2ª 2æ, Q. 48, art. unic.; et Q. 61, a. 1 ; Q. 80, a. unic.; Q. 128, a. unic.; Q. 143, a. unico.

objectorum cum fine. Ita si objectum materiale et formale sit ipse Deus, species est distincta ab alia ubi objectum est medium; concessit enim Deus ut media ad ipsum et quæcumque habet ipse homo et reliquas omnes creaturas sive proximos suos sive etiam irrationales diversis modis, et prior species est nobilior hac altera. Iterum in priori illa specie seu potius genere supremo illa species infima est nobilior qua perfectius voluntas unitur Deo, amor scilicet, et distinguitur a reliquis duabus ubi diversus est modus tendendi in Deum qui licet immediate ab actu attingatur, actus tamen ille non est immediate ipsius voluntatis quam Deo ut fini conjungat, ut in fide, aut non est Dei sub ratione finis formali, sed ut adjuvantis ad finem, ut in spe. In altero vero genere supremo, ubi quatuor sunt genera proxima, quorum singula in species subdividuntur, eæ species nobiliores sunt quæ circa media proxima, magis necessaria sunt, quæ efficacius finem attingunt et propius ad eumdem accedunt. Vide S. Thomam ll. cc.

Species malitiæ.

28. Loquendo deinde de speciebus malitiæ : hæ plures sunt quam bonitatis, sumuntur autem ex oppositione ad illas. Eidem nimirum speciei bonitatis opponi possunt species malitiæ per excessum et per defectum et iterum aut privative vel etiam contrarie aut disparate, quia materia unius bonitatis potest in objecta disparata dividi, quibus respondent jam malitiæ disparatæ, adeoque plures sunt malitiæ species uni bonitati oppositæ. Exempla obvia sunt apud auctores(1).

29. Ad 2^m^. Præmonemus sermonem jam non esse, in hac quæstione circa quantitatem bonitatis et malitiæ, de moralitate fundamentali tantum et incompleta, in quantum aliquid est præcise secundum vel contra rationalem naturam; sed de moralitate proprie dicta, theologica, in quantum aliquid est conforme voluntati divinæ imperanti aut ab ea difforme : quæ duæ rationes in re ipsa sunt cæteroquin inseparabiles. Dicimus itaque : 1° quo species est nobilior eo major bonitas, eoque major malitia in opposito, cæteris

Quantitas bonitatis et malitiæ inæqualis in elemento objectivo.

1) V. Bouquillon, op. cit., nn. 454-459.

paribus; 2° in actu autem determinato, cum possint plures species occurrere, singulæ sunt attendendæ; 3° possunt etiam circumstantiæ mere tales seu quæ non transeunt in objectum efficere ut gravius malum sit actus, qui ex specie minus esset. Ut autem recte judices de gravitate respectiva malorum ex oppositione ad præstantiores bonitates, attende *a)* an oppositio sit ejusdem modi, utrimque directa aut indirecta, immediata aut mediata, circa objectum primarium aut secundarium, *b)* annon forte oppositio speciei seu virtuti inferiori conjungatur cum oppositione aut includat oppositionem virtuti superiori.

Distinctio quantitativa peccati.

30. Ulterius 4° : est aliqua distinctio maximi momenti inter peccata quoad quantitatem malitiæ, non solum enim inæqualia sunt sed alia admitti debent ut absolute gravia, alia ut levia. Quæritur autem unde id oriatur? Cum objectiva quantitas essentialis malitiæ oriatur, ut diximus, ex determinata oppositione ad speciem bonitatis, oportet ut absoluta gravitas et levitas ejusdem pariter oriatur ex determinata oppositione ad speciem tam nobilem aut non tam nobilem : nobilitas autem desumitur ex ordine connexionis ad finem, quæ connexio, seclusa libera Dei voluntate per revelationem manifestata, ex ipsa natura speciei oritur : ergo et gravitas ac levitas objectiva peccati desumitur tandem ex illo ordine ad finem cui contrariatur diverso gradu, ita ut exclusa connexione necessaria finem efficaciter excludat, aut si connexio tam arcta non sit inefficaciter tantum. Putamus itaque omnino dicendum aliqua necessario ut gravia mala haberi a Deo et ut talia vetari, et aliqua bona sub gravi præcipi ita ut omissio eorum sit grave peccatum, antecedenter et independenter a libera ejus voluntate (quoad ea quæ Deus libere præcipit aut vetat sub gravi, nulla difficultas, cum sit ei obediendum sicuti ipse vult, cujus sola voluntas sufficit ad elevandam quamvis speciem ad nobilitatem medii necessarii, quæ talis ex se non esset, sed hoc ad ordinem revelationis positivæ spectat). In iis itaque quæ immediate fini, ipsi Deo, directe adversantur, nulla difficultas : ea enim, inspecta summa Dei majestate et dependentia crea-

turæ ab ipso, nequeunt non esse gravia, et finem cui adversantur implicite saltem non possunt non excludere. In iis vero quæ circa media ad finem versantur, major est difficultas : generatim quidem dici potest ea gravia esse, quæ ad ordinem a Deo statutum, convictum humanum v. gr. servandum requiruntur, aut graviter eumdem lædunt, ita ut, ni sub gravi statuantur aut prohibeantur ordo subsistere nequeat et assecutio finis hominibus redderetur saltem moraliter impossibilis; at vero difficile determinari potest quæ ea in specie sint, et ideo seclusa revelatione plura obscura manent et quæ mala certo apparent tamen ut gravia difficilius cognoscuntur, licet posita revelatione eorum gravitas etiam ratione demonstretur. Deinde quæ ex genere suo gravia sunt etiam parvitatem materiæ admittere possunt. Sed hæc ulterius prosequi non est præsentis instituti.

Caput Tertium.

DE ACTU SUPERNATURALI.

31. Hucusque suprema moralitatis principia exposuimus inspectis quæ homo a natura habet, et abstrahendo a statu præsenti historico in quo constituitur.

Cum autem Deus ex infinita bonitate voluerit nos ad statum supernaturalem ordinemque plane divinum] extollere, imo ex eo per peccatum primi parentis miserrime delapsos misericordissime per Christum restituere, ad hunc ordinem attendendum est omnino, ne extra rei veritatem in hypothesi versemur. Theologi quidem morales plerique omnes, saltem moderni, vix in morali generali de his sermonem faciunt, forte quia de liceitate et illiceitate actionum præcipua est in re morali tractatio, cui nihil refert origo præcepti dummodo de ipso constet, nec natura actionis utrum cum gratia vel sine gratia fiat, siquidem gratia non tantum licitam sed positive honestam supponit actionis materiam ; tum

Ordo supernaturalis.

Quare de eo hic fiat sermo.

fortassis etiam, quia dogmaticis disciplinis tanquam proprio loco ea relinquere satius habent, ex iisdem, quibus opus habent principiis, deprompturi : at vero nobis videtur, quæ ad rem moralem æque respectum habent ac ad rem dogmaticam, generatim et sub illa peculiari relatione ad theologiam moralem oculis subjicere, nec utilitate nec convenientia theologo morali carere, dogmaticis tamen reliquendo ulteriorem rerum explanationem atque demonstrationem : neque enimvero de liceitate tantum præcise, sed de positiva tendentia in finem tractatio hic propriam sedem habet, ac proinde et finem hunc qualis sit in ordine præsenti historico, et media qualia ex hoc fine determinata in hunc ipsum tendant, exponere decet : eo vel magis quod in theologia morali speciali ampla fiat explanatio præceptorum ac mediorum salutis supernaturalium. Unde vel hoc solum nos moveret ut breviter ordinem supernaturalem exponamus, quod secus incompletæ et mancæ manerent notiones generales et fundamentales in re morali hic proponendæ.

Quæ in ordine præsenti, revelationis necessitas.

32. Supposito itaque facto supernaturalis elevationis nec-non lapsus et per Christum reparationis, adeoque supposita revelatione supernaturali sine qua factum innotescere non poterat, præmittendum est hoc loco, quænam sit in statu præsenti hujus revelationis in ordine ad rem moralem necessitas.

1° Necessaria est absoluta necessitate ut homo cognoscat finem suum supernaturalem, mediaque supernaturalia ad illum consequendum, naturam nempe et conditiones ac leges supernaturalium operationum.

2° Eadem necessitate requiritur revelatio veritatum ad ordinem moralem pertinentium, etiam naturalium ex necessitate consequentiæ; ex nexu nimirum necessario legis naturæ cum lege supernaturali, cujus revelatio est absolute necessaria, quæque naturalem implicite continet et supponit ac ad altiorem ordinem extollit, non potuerunt non revelari simul hæ ambæ leges, cum supernaturale non excludat sed elevet naturam eique superædificetur.

3° Omnium veritatum quarum cognitio ad finem in ordine

præsenti consequendum est necessaria, sive eædem lumine etiam rationis inveniri possint sive non, revelatio est absolute necessaria quoad cognitionis modum, ut fide divina teneantur illæ veritates sive theoreticæ prærequisitæ sive practicæ : modus enim ille, et jure naturæ hypothetico, posito nimirum facto elevationis supernaturalis, præcipitur et sub positivo cadit præcepto.

4° Tandem, non absoluta sed morali necessitate necessaria est revelatio eadem supernaturalis, formaliter ut supplens Providentiam Dei, quæ in statu puræ naturæ obtinuisset, ad hoc ut lex naturalis etiam quoad substantiam cognitionis ea perfectione et amplitudine ab humano genere cognosci possit quæ necessaria fuisset in eodem statu puræ naturæ ad finem assequendum.

33. Nunc ex eadem revelatione jam desumimus, quæ addenda sunt iis quæ tum de ultimo fine, tum de principio efficiente et exemplari actuum humanorum breviter disputavimus.

Ordinis supernaturalis elementa generatim delineantur.

34. Finis ultimus objectivus necessario adeoque in omni ordine Deus est, Summum Bonum : felicitas formalis conjunctio intellectus et voluntatis cum Summo Bono. In statu porro præsenti supernaturali, non quocunque modo naturæ etiam in statu termini propriis viribus agenti accommodato, Deus se ad fruendum offert, sed in adoranda Personarum Trinitate ut in se est intuitive videndum ac beate possidendum. « Beatitudo hominis perfecta consistit in visione divinæ essentiæ. Videre autem Deum per essentiam est supra naturam non solum hominis sed etiam omnis creaturæ.., naturalis enim cognitio cujuslibet creaturæ est secundum modum substantiæ ejus : omnis autem cognitio quæ est secundum modum substantiæ creatæ deficit a visione divinæ essentiæ quæ in infinitum excedit omnem substantiam creatam : unde nec homo, nec aliqua creatura potest consequi beatudinem ultimam per sua naturalia » (1).

Finis supernaturalis.

(1) S. Thomas, Iª 2æ, Q. 5, a. 5, in corp.

« Relinquitur ergo quod cognoscere ipsum Esse subsistens sit connaturale soli intellectui divino, et quod sit supra facultatem naturalem cujuslibet intellectus creati : quia nulla creatura est suum esse sed habet esse participatum. Non igitur potest intellectus creatus Deum per essentiam videre, nisi in quantum Deus per suam gratiam se intellectui creato conjungit ut intelligibile ab ipso » (1). « Cum igitur virtus naturalis intellectus creati non sufficiat ad Dei essentiam videndam... oportet quod ex divina gratia superaccrescat ei virtus intelligendi. Et hoc augmentum virtutis intellectivæ illuminationem intellectus vocamus, sicut et ipsum intelligibile vocatur lumen, vel lux. Et istud est lumen, de quo dicitur Apoc. 21, quod claritas Dei illuminabit eam, scilicet societatem beatorum Deum videntium. Et secundum hoc lumen efficientur deiformes, id est Deo similes : secundum illud primæ Joan. 3. Cum apparuerit, similes ei erimus, et videbimus eum sicut est » (2). En igitur qualis sit finis in præsenti ordine.

Tendentia in finem.

35. Debet porro homo pluribus motibus operationum quibus in finem tendat, eumdem finem consequi : quod in omni ordine verum est, et supra supposuimus ut notum, erit tamen utile audire eumdem S. Doctorem, de præsenti ordine ita loquentem : « Dicendum, quod rectitudo voluntatis... requiritur ad beatitudinem, cum nihil aliud sit quam debitus ordo voluntatis ad ultimum finem, quæ ita exigitur ad consecutionem ultimi finis sicut debita dispositio materiæ ad consecutionem formæ : sed ex hoc non ostenditur quod aliqua operatio hominis debeat præcedere ejus beatitudinem, posset enim Deus simul facere voluntatem recte tendentem in finem et finem consequentem..., sed ordo divinæ sapientiæ exigit ne hoc fiat..; habere autem perfectum bonum sine motu convenit ei quod naturaliter habet illud, habere autem beatitudinem naturaliter est solius Dei : unde solius Dei proprium est quod ad beatitudinem non

(1) 1ª, Q. 12, a. 4, in corp.
(2) 1ª, Q. 12, a. 5, in corp.

moveatur per aliquam operationem præcedentem. Cum autem beatitudo » (intellige : perfectam, summum bonum ut in se est cognitum et amatum, seu finem ultimum objectivum in ordine præsenti) « excedat omnem naturam creatam, nulla pura creatura convenienter beatitudinem consequitur absque motu operationis per quam tendit in ipsam... » (1).

36. Si talis est finis, actus qui media sunt ad ipsum oportet esse etiam supernaturales. Nam : « Dicendum, quod actus perducentes ad finem, oportet esse fini proportionatos. Nullus autem actus excedit proportionem principii activi... Vita autem æterna est finis excedens proportionem naturæ humanæ... Et ideo homo per sua naturalia non potest producere opera meritoria proportionata vitæ æternæ, sed ad hoc exigitur altior virtus, quæ est virtus gratiæ. Et ideo sine gratia homo non potest mereri vitam æternam » (2).

Media tendendi in finem

37. Porro « duplex est præparatio voluntatis humanæ ad bonum. Una quidem qua præparatur ad bene operandum, et ad Deo fruendum, et talis præparatio voluntatis non potest fieri sine habituali gratiæ dono, quod sit principium operis meritorii. Alio modo potest intelligi præparatio voluntatis humanæ ad consequendum ipsum gratiæ habitualis donum, ad hoc autem quod præparet se homo ad susceptionem hujus doni, non oportet præsupponere aliquod aliud donum habituale in anima : quia sic procederetur in infinitum : sed oportet præsupponi aliquod auxilium gratuitum Dei, interius animam moventis, sive inspirantis bonum propositum. His enim duobus modis indigemus auxilio divino » (3).

Requiritur habitus gratiæ ut medium proximum.

Requiritur gratia actualis ad ipsam susceptionem gratiæ habitualis.

38. Hæc igitur ordinis supernaturalis elementa habemus generalia : finem, seu statum finalem gloriæ, visionem beatificam, ad quam requiritur donum habituale luminis gloriæ; media in statu viæ, quæ sunt status gratiæ habitualis ut medium proximum, semen gloriæ ac principium meriti actuum supernaturalium, ad augmentum ejusdem gratiæ et

(1) 1ª 2æ, Q. 5, a. 7, in corp.
(2) 1ª 2æ, Q. 109, a. 5, in corp.
(3) 1ª 2æ, Q. 109, a. 6, in corp.

gloriæ; et præparatio ad gratiam habitualem per actus supernaturales ex gratia actuali, nondum meritorios gratiæ et vitæ æternæ.

Regula supernaturalis.

39. Finis distinctus, distinctaque ei proportionata media, aliam etiam important regulam : continet revelatio positiva præcepta et leges actus speciales præcipientes aut approbantes simul cum naturali lege perfectius proposita ; ita Suarez (1) in præsenti ordine legem naturalem distinguit duplicem : aliam mere naturalem, aliam divinam seu supernaturalem connaturalem gratiæ, posito nimirum libero facto Dei elevationis humani generis per gratiam. Et præter hanc esse aliam adhuc divinam positivam ait, quæ scilicet posita gratia non est simpliciter necessaria sed ex suppositione institutionis synagogæ et Ecclesiæ, seu « ex peculiari institutione corporis mystici spiritualis (ut sic dicam), » respectu autem finis ipsius supernaturalis per se non tam necessaria est quam potius ad melius esse.

Quædam dicuntur in particulari de ordine supernaturali, quantum spectat potissimum ad rem moralem.

40. De quibus jam elementis quædam magis in particulari quantum spectat ad rem nostram sunt dicenda.

41. Incipiamus ab ipsa præparatione per actus supernaturales ad statum gratiæ, quæ præparatio solis adultis convenit, cum pueri per baptismum aut medium illud supplens sine ulla cooperatione sanctificentur. Non quidem totum processum in justificatione adulti, sed tantum breviter naturam actus supernaturalis exponimus ; notemus autem actum talem sive ante sive post justificationem ejusdem esse naturæ nisi quod in justo sit meritorius augmenti gratiæ et vitæ æternæ, hæc autem differentia non ex parte actus sed potius ex parte agentis sese habet.

Actus supernaturalis.

Elementum ejus subjectivum.

42. Quod spectat primo elementum subjectivum actus illius : in naturalibus, ad hoc ut voluntas actum eliciat, requiritur motio universalis causæ primæ, per modum causæ finalis moventis ; ejusdemque causæ primæ intime continuo modo præsentis concursus naturalis physicus et immediatus, quique in ipsa actione creaturæ simultaneus videtur dicendus,

(1) *De Legg.*, L. I, c. 3, nn. 11-17.

per modum causæ primæ efficientis, ita ut actio tota sit a creata potentia eique propria, et tota sub nobiliori formalitate a Deo, ac, de libera voluntate loquendo, concursus ille non antecedenter ad unum determinet, sed ipsa actio voluntatis agentis sub et cum concursu sit ejusdem concursus determinatio.

43. In supernaturalibus vero, oportet sit motio specialis causæ finalis, ut de propositione objecti dicetur; ea autem motio supponit jam efficientiam supernaturalem physicam seu gratiam actualem qua prævenieus est, illuminans intellectum, quem elevet ad esse instrumenti supernatnralis; et eadem porro gratia reperiens item in voluntate naturali instrumentum ineptum excitabit etiam immediate et elevabit voluntatem : hæc autem fieri puta per actus indeliberatos vitaliter in intellectu et voluntate a Deo peculiari operandi modo productos. Prius igitur est de causalitate efficiente quam de causalitate finali hic sermonem fieri.

Hæc itaque divina gratia, ad hoc ut efficaciter moveat, efficacia dico absoluta et ex parte sua, quam sequatur consentiente voluntate efficacia connexionis adeoque actus deliberatus supernaturalis, potentias primum transeunter elevat qua prævenieus, (sanando etiam si necesse sit, ut in statu præsenti lapso) ut, quæ per se apta sunt instrumenta Dei in concursu naturali, et talia fiant in concursu supernaturali : quo posito adest etiam motio causalitatis finalis de qua statim dicemus ; concursus porro gratiæ qui item est physicus, immediatus ac formaliter ut concurrens simultaneus, consentiente sub et cum illa motione, libera voluntate, pergit adjuvando et ideo in hoc altero temporis momento gratia denominatur adjuvans seu cooperans aut relate ad eamdem ut prævenientem subsequens. Concursus autem hic a naturali concursu iterum in eo est distinctus quod sicut potentia cum Deo agens est elevata supra naturam saltem transeunter, ita et actio ejus jam non pure humana dicatur, qualis est licet concurrente causa prima, actio naturæ, cujus potentia virtutem agendi propriam habet adeoque, licet aliquo modo rationem causæ instrumentalis habeat respectu causæ

primæ, esse tamen potest causa principalis secunda; sed actio supernaturalis speciali modo divino-humana efficitur, influxu divino pergente in operando, modo proportionato perfectioni et nobilitati instrumenti vitalis per ipsum elevati, atque ita totum opus tribuitur Deo per gratiam et totum gratia prævento et imbuto libero arbitrio, « totum quippe [dein] hoc et totum illa, sed ut totum in illo, sic totum ex illa, » ut loquitur S. Bernardus (1).

Elementum objectivum actus supernat.

44. Quod elementum objectivum attinet : quemadmodum in termino finis supernaturalis attingitur modo plane distincto ac attingeretur finis mere naturalis, ita etiam in via diverso a naturalis finis modo ut causa finalis movet, quatenus et alia objecta proponit et objecta naturalia sub alio respectu, supernaturali nempe modo. Supra advertimus, ut actus moraliter bonus sit (quo posito refertur in finem ultimum) requiri ut elementum objectivum positive conforme sit regulæ morum, unde si sit per se indifferens seu capax tantum referri in finem ultimum, ulterius requiri relationem aliquam in finem bonum : hic autem aliquo modo a pari non sufficit ad actum supernaturalem ut objectum ejus moraliter bonum sit et tale quod per se in finem ultimum naturaliter tenderet, sed postulatur ut sit supernaturale ; secus non referretur in finem supernaturalem sed esset tantum capax referri et actus licet moraliter bonus, esset in ordine ad finem supernaturalem indifferens. Ut autem objectum sit supernaturale, oportet ut in ordine ad finem supernaturalem apprehendatur : hæc porro ipsa apprehensio ex motivo supernaturali jam supponit gratiam Dei saltem actualem, qua præveniens est illuminans intellectum, quæ eadem gratia excitat etiam immediate voluntatem, et hac consentiente fit adjuvans, ac ponitur actus deliberatus supernaturalis, saltem implicite in Deum ut finem supernaturalem relatus. Ratione etenim et natura prius est elementum supernaturale elementi subjectivi actus saltem principiative sumptum, in ordine ad relationem in finem quam in ordine ad execu-

(1) *De Grat. et lib. arb.*, c. 14, n. 47.

tionem physicam actus; semper itaque implicita est actus supernaturalis relatio in finem inchoate in gratia qua præveniens est, complete in ipso actu supernaturali.

Relatio in finem supernaturalem.

45. Quæstio autem est inter auctores quomodo fiat illa relatio in finem supernaturalem. Si homo non sit in statu gratiæ sanctificantis, explicant ut modo fecimus. Si autem sit in charitate (de quo statu statim dicemus), plures sententias proferunt. Alii dicunt : eo ipso quod homo totus ordinetur in finem supernaturalem per charitatem, omnes ejus actus, dummodo moraliter honesti sint, esse supernaturales et meritorios; hoc autem dictum non videtur fundatum : sive enim admittas gratiam actualem etiam justo esse necessariam ad actum supernaturalem, saltem ut excitans est, eamque gratiam justo nunquam deesse, quod omnino rationabiliter creditur, sive dicas eam potentiis et habitibus supernaturalibus suppleri, in omni tamen casu oportet homo supernaturaliter apprehendat agibile, quod fieri non intelligitur ex sola habituali conversione ad finem supernaturalem. Aliorum opinio est : si charitas tunc quando speciale ejus præceptum urget, exit in actum, omnes actus bonos justorum referri in Deum, et vi illius relationis virtualiter perseverantis aut etiam habitualiter tantum, esse supernaturales, hoc autem assertum neque probari videtur neque rem satis explicare. Tandem alii requirunt relationem aliquam actualem implicitam in motivo fide apprehenso ex quo actus ponitur, quæ sententia cum nostra conciliatur dicendo hoc pendere a prævenïente gratia Dei, quæ numquam deest, et cui justus consentiat promptius atque facilius.

Præceptum referendi actiones in Deum.

46. Hic proprius locus videtur dicendi verbulum de celebri quæstione de *præcepto* referendi opera in Deum. Potest illa quæstio duplici modo proponi : 1° utrum de ordine naturæ primum loquendo, exstet præceptum referendi singulas actiones in Deum relatione explicita sive actuali sive virtuali, præter relationem quæ adsit implicita in ipsa actus honestate. Hoc autem nullo modo probari potest. Ulterius, utrum actus qui per se implicite non referuntur, debeant non tantum ut boni sint sed ex præcepto referri in

Deum saltem implicite per ulteriorem scilicet intentionem finis honesti, pertinet quæstio ad controversiam de qua supra n. 8, nota (2), verbulum injecimus. Hoc enim si probatur, constat nullum actum in individuo esse indifferentem. Si jam agamus de ordine supernaturali, pariter non constat de simili obligatione referendi supernaturaliter singulas actiones deliberatas in Deum (secus omnes actus essent in statu præsente supernaturales vel mali, nullus moraliter tantum honestus), sicut etiam non est obligatio utendi omnibus gratiis a Deo oblatis ad facienda opera supererogatoria, ad quæ tamen certe gratiæ divinæ sunt præparatæ. Actus autem qui ex motivo fidei supernaturaliter fiunt, eo ipso implicite, ut vidimus, referuntur in finem supernaturalem seu gloriam Dei.

Verba autem Apostoli (1) optime intelliguntur de consilio numquam sistendi in actibus indifferentibus, quales in ordine supernaturali sunt etiam actus moraliter tantum honesti, sed gratiæ divinæ paratæ semper obsequendo, eos ex motivo fide apprehenso supernaturaliter exercendi et ita in gloriam Dei referendi. Intelligi præterea possunt illa verba ulterius de relationis explicitæ consilio, omnium et singularum actionum, sive actualis in singulis, sive virtualis in præcedente explicita relatione.

47. Potest 2° eadem quæstio proponi hoc modo : an in ordine naturali aut supernaturali exstet aliquod præceptum speciale affirmativum identidem obligans ad explicite referendas actiones omnes globatim in Deum ut finem naturalem aut supernaturalem. Iterum dicimus de hoc præcepto non constare : possunt enim de ordine supernaturali jam agendo, verba Apostoli significare consilium talis relationis specialis explicitæ, quam sæpissime, imo, ut diximus, in omni actu, si fieri possit, faciendæ. Si itaque verba illa de præcepto aliquo intelligere velis, dicas cum S. Thoma, illud non esse aliud a præcepto charitatis : « Sub præcepto charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde; ad

(1) 1ª ad Cor.. X, 31.

quod pertinet ut omnia referantur in Deum; et ideo præceptum caritatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum » (1). Nullum igitur præceptum relationis explicitæ inde probatur : sed tantum implicitæ in charitate seu potius quod confunditur cum præcepto charitatis quodque adeo nihil aliud requirit nisi ut, negative : nihil fiat quod non sit in Deum referibile, et positive : servetur præceptum charitatis.

48. Corollaria. 1m. In actu supernaturali bonitas moralis est quasi materiale elementum, character vero supernaturalis tum objectivi tum subjectivi elementi, quasi formale actus. *Elementum quasi mat. et formale in actu supernat.*

2m. Quod species attinet bonitatis et malitiæ, eæ in utroque ordine sibi accurate respondent, cum hoc discrimine quod sicut elementum objectivum actus et actus ipse supernaturalis est infinite nobilior, ita species bonitatis supernaturales infinite illas sibi respondentes in ordine mere naturali superant. Ita Deus ut finis supernaturalis apprehenditur et attingitur per actus supernaturales virtutum divinarum fidei, spei et charitatis; reliqua ut media ad finem item ex motivo supernaturali prosequitur agens per actus supernaturales virtutum moralium infusarum, aut ante justificationem, in qua omnes illæ virtutes infunduntur, vel etiam ante infusionem fidei et spei, quæ absque charitate licet informes subsistunt, per solam gratiam actualem. *Species actus in ordine supernat.*

3m. Eadem, proportione servata majoris nobilitatis adeoque quantitatis in bonitate supernaturali, subsistit distinctio quoad quantitatem ac supra exposuimus. Malitia quæ eodem modo se habet, cum ex sola infirma natura oriatur, major tamen quoad quantitatem in ordine præsenti dici potest, cæteris licet paribus, ob majorem scilicet ingratitudinem. Distinctio inter peccatum grave et leve in revelatione clarissime proponitur cum utriusque peccati natura et propriis effectibus, qui tamen oriuntur ex uno essentiali discrimine, quod, ratione tantum habita ordinis diversi, ad *Quantitas bonitatis et malitiæ in eodem ordine.* *Et distinctio peccati mortalis et venialis.*

(1) Ia 2æ, Q. 100, a. 10, ad 2m.

idem supra indicatum reducitur. Multo etiam magis determinat revelatio quæ peccata gravia, quæ vero levia sint, quamvis non omnia sint clara.

Medium proximum : gratiæ sanctificantis status.

49. Accedamus jam ad brevem explicationem medii proximi ad finem supernaturalem, quem statum gratiæ habitualis esse diximus. Ad hunc adultus nondum justificatus se præparare debet actibus supernaturalibus, non quidem meritoriis sed ultimam a Deo requisitam dispositionem inducentibus : qui vero rationis usum non habent, gratuita item Dei misericordia per solum baptismi sacramentum aut martyrium seu baptismum sanguinis, sine ulla cooperatione justitiam consequuntur : omnibus vero omnino necessaria est gratia illa sanctificans, ut ad finem supernaturalem perveniant.

Status gratiæ in ordine ad finem seu sub respectu morali præcise.

50. Paucis statum gratiæ in se describere vellemus, at ne nimis a re nostra abduci videamur, ad dogmaticos remittimus (1), et sub respectu morali in ordine ad finem statum gratiæ peculiariter consideramus.

51. Status itaque gratiæ seu gratia sanctificans cum virtutibus infusis et actibus earum physice seu in se spectatis constituunt ipsum elementum physicum conversionis in finem ultimum, quamvis inclusa saltem gratia sanctificante, a conversione formali sejungi nequeant ob positivam Dei ordinationem. Elementum autem formale seu morale est in debita conformitate status et actuum cum ordinatione divinæ voluntatis circa finem assequendum (2). Conversio

Elementum materiale et formale conversionis in finem.

(1) Legatur v. gr. S. Thomas, inter alia loca 1ª 2æ, Q. 110, Q. 112, Q. 113, præs. a. 8 coll. *de Verit.* Q. 29, a. 2. Optimam etiam invenies descriptionem infusionis Spiritus Sancti et gratiæ habitualis apud P. Schrader, inter Theses de Gratia, thesi XII.

(2) In statu naturæ puræ, elementum materiale et physicum conversionis ad finem, fuissent ipsa naturalia; elementum formale et morale in debita conformitate naturæ et actionum cum voluntate Dei circa finem assequendum. Sicut autem in illo statu homo mortaliter peccando non amisisset naturalia, imo secundum ea remansisset objectum proportionatum ex natura sua dilectioni Dei, imo et fini, at propter impedimentum peccati non fuisset simpliciter Deo gratus et ordinatus in finem : ita si quis servaret omnipotentia Dei donum justitiæ inhærentis admisso peccato, haberet qui-

hæc completa est si adsit gratia sanctificans, incompleta si peccato mortali auferatur, remanente tantum natura ad actus honestos aut etiam fide et spe vel sola fide, ita ut possint illis habitibus aut saltem sola gratia actuali elici actus etiam supernaturales; donec tamen peccatum tollatur manet aversio a fine ultimo. Completa conversio est perfecta vario gradu, secundum quem gradum se habet consecutio finis, vel imperfecta seu mixta peccato veniali aut reatu pœnæ temporalis, quæ a fine retardant. Cum autem finis ultimus essentialiter unicus sit, intelligitur. statuto a Deo fine supernaturali, jam non haberi conversionem ad finem naturalem, adeoque nec aversionem formalem ab ipso. Aversio enim per conversionem definitur : potest esse mere negativa, ut esset in statu puræ naturæ respectu finis supernaturalis; vel privativa, respectu finis debiti, ut in reo solius peccati originalis; vel positiva per conversionem ad oppositum, quæ repugnat omni conversioni ad Deum bonum, et ideo in termino separat a Deo per absolutam boni privationem. Quæri hic posset, utrum illa aversio privativa omissa consideratione *finis ultimi*, qui certe non attingitur, avertat a Deo absolute an respectu bonorum supernaturalium tantum. Scimus autem ab una parte odium Dei fundatum in peccato originali, terminari ad solam privationem boni supernaturalis, imo in illa privatione probabilius consistere statum damnationis pueri morientis in originali peccato.

Conversio completa et incompleta.

Conversio completa perfecta et imperfecta.

Aversio a fine triplex.

Privativa aversio.

dem physice totum id quocum connaturaliter connectuntur denominationes morales : rectitudinis, sanctitatis etc., imo secundum intrinsecam similitudinem naturæ esset filius Dei et paternæ dilectionis objectum, peccatum tamen esset impedimentum quominus illi effectus morales connaturales existerent. Unde 1° gratia sanctificans ex natura sua, id est, quatenus ex ea ut physico dono, denominationes illæ morales oriuntur connaturaliter, reddit hominem justum etc. et filium Dei adoptivum (contra Lessium, *De Perf. Div.*, L. XII, c. 11); 2° non magis adoptio quam ipsa justitia est donum mere extrinsecum, sed quia esse justum etc. denominationes sunt morales et relativæ, illud constituit hominem justum etc. quocum relationes illæ morales connaturaliter connectuntur. Hæc observanda sunt ubi de peccatis quæritur quomodo quædam dicantur *ex natura sua* peccata; vel gravia vel levia; licet natura physica actus non sit mala.

Ex alia parte nullum dubium est quin *possit* talis homo in altera vita Deum cognoscere et amare naturæ viribus, quæ, cum eadem sint in se ac in statu naturæ puræ, physice nullum discrimen inducunt. Totum autem discrimen est morale, quod tamen sufficit ut dici nequeat puerum assecutum esse suum finem naturalem, aut την beatitudinem naturalem. Inde infer : 1° dici non posse hominem lapsum aversum esse a fine ultimo *etiam naturali*, quasi essent duo fines, aut duæ aversiones; 2° hominem talem non absolute esse aversum a Deo, ut diximus, cum possit in altera vita cognoscendo et amando Deum τινι beatitudine perfrui; licet enim non sit conversus ad Deum ut finem supernaturalem, quæ conversio fundatur in illa altiori natura : gratia scilicet cum donis annexis, connotata Dei ordinatione ad talem finem; neque sit conversus ad Deum finem naturalem, quia quamvis naturalia habeat, deficit ordinatio divina ad illum finem, inde tamen concludere haud licet eum esse absolute a Deo aversum, sed tantum non conversum ad Deum ut finem ultimum, et privative aversum a fine supernaturali : imo per accidens aliquo modo et radicaliter quasi, conversus manet ad Deum auctorem naturæ, non sub ratione finis ultimi : quatenus habet naturalia illæsa connotata voluntate Dei, per accidens, non intentione primaria, ut homo ille lapsus cum donis naturalibus versetur in statu viæ.

52. Totam hanc disputationem de ordine supernaturali jam concludamus hac generali consideratione : quomodo gratia naturam non tollat sed supponat et perficiat, mirabili quodam ordine atque dispositione, eamque ubique comitetur ad eam sanandam atque elevandam, eique cooperandum : ita adulto nondum justificato adest influxus gratiæ transiens in ordine ad disponendam animam ad susceptionem justitiæ, si vero, amissa per peccatum justitia habitum fidei licet informem, aut etiam fidei et spei retinuerit, habitus illi, excitante gratia in actus exeunt et ab ea juvantur deinceps ad faciliorem actus executionem et exercitium actuum justificationis dispositioni magis propinquorum. In anima vero justi inest gratia sanctificans quasi altera natura, po-

Quomodo supernaturalia perficiant naturam.

Ante justificationem.

In justo.

tentiis ejus virtutes infusæ potissimum theologicæ quasi alteræ potentiæ, dona Spiritus Sancti seu ipsius Spiritus inhabitantis influxus quidam habitualiter præparati in ordine ad actus sublimiores, et a fortiori gratia ejusdem Spiritus actualis parata semper ad actus etiam communes : cum enim dona hæc participata quamvis infinite perfectiora naturalibus, modo tamen minus perfecto habeantur quam natura (1), requiritur etiam in justo influxus gratiæ actualis, non quidem ad sanandum aut elevandum potentias, sed ut hæ excitentur ad actum. qua excitatione posita supernaturales potentiæ agunt gratiæ adjuvantis partes quasi supplentes, seu potius ipsæ sunt gratia adjuvans justi supernaturaliter agentis, non tamen abundantius auxilium actuale, ut putamus, excludunt.

In termino beato.

53. Anima in illa unione charitatis ineffabili cum Spiritu Sancto, e corpore discedens, et firmatur in charitate in Spiritu Sancto, et intimius jam conjungitur ipsi Verbo, cujus unionis fructus est lumen gloriæ, et per Filium ad unionem arctiorem cum Patre pertingit, ita ut tota supernaturaliter Deo assimiletur Uni et Trino, et intellectus ejus lumine gloriæ elevatus et adjutus fiat instrumentum Deo conjunctum vitaliter ad visionem Patris in Filio, et voluntas elevata ad amorem beatificum et fruitivum Patris et Filii in Spiritu Sancto.

Relate ad corpus.

54. Imo et in corpus suscitatum et iterum conjunctum redundabit supernaturalis gloria secundum exemplar gloriosi corporis Christi, qui ut in hac re ita et in omnibus donis supernaturalibus perfectissimum existit exemplar (2);

(1) Vid. S. Thomam, 1ª 2æ, Q. 110, a. 2, ad 2m, et Q. 68, a. 2, in corp.

(2) Ut rectam et completam notionem ordinis supernaturalis quis sibi acquirat, ratione fide illustrata debet sedulo inspicere tum ipsam naturam illam singularem in se et in ordine ad finem sub connaturali Dei Providentia, relate ad quam aliquid dicatur supernaturale, tum naturam omnem creabilem, ita ut quod sic universaliter superare naturam dicatur, sit soli Deo naturale, Ipsique soli substantialiter inesse possit; deinde vero præsertim, quoad hoc ultimum stricte dictum supernaturale et divinum, de duobus est inquirendum : de ipso fine seu visione intuitiva Dei Unius et Trini, ad quam omnia in ordine illo referuntur, et secundo : de exemplari in hoc ordine, Verbo incarnato cum omnibus suis dotibus et donis.

quemadmodum et in statu viæ idem corpus sanctitatis fuit particeps (1).

SECTIO POSTERIOR.

DE CONSCIENTIA CEU REGULA PARTICIPATA LEGEM APPLICANTE.

55. In hac altera sectione quæstiones tres tribus distinctis capitibus solvendas proponimus.

1ª Utrum et quomodo regula objectiva moralitatis sive ultima sive ab ea derivata, applicari postulet agenti; seu de legis promulgatione.

2ª Quousque de facto promulgetur lex naturalis; seu de ignorantia juris naturæ.

3ª Quomodo ex parte subjecti fiat applicatio et deveniatur ad ultimum conscientiæ dictamen, quæque sit in ipso subjecto proxima et formalis regula operationum; seu de conscientiæ dictamine ejusque proprietatibus in ordine ad regulandas operationes humanas.

Caput Primum.

DE LEGIS PROMULGATIONE.

§ I. *Quod regula objectiva subjecto applicari postulet per cognitionem.*

Voluntas Dei moralitatis theologiæ regula.

56. Ex supra expositis sufficienter constat primam universalem regulam objectivam omnis moralitatis theologicæ et bonitatis etiam supernaturalis esse Dei voluntatem quatenus sub se comprehendit tum quæ lege æterna anteceden

(1) Vide S. Paulum, *ad Rom.*, c. 8, vv. 11 sqq.; 1 *Cor.*, c. 3, vv. 16 sqq.; c. 7, v. 34; 1 *Thess*, c. 5, v. 23.

ter ad voluntatem Dei liberam ordinantur, tum omnia quæ a libera voluntate Dei pendent et consequenter ad hoc factum liberum sub lege æterna cadunt, tum omnia cujuscumque superioris legitima mandata quæ ipsa lex naturæ Deique voluntas observanda præcipit. Constat insuper præter hanc Dei voluntatem ea extensione sumptam, nullam esse moralitatis theologicæ regulam, cum convenientia aut disconvenientia cum natura rationali antecedenter ad voluntatem Dei considerata sit tantum moralitas incompleta, fundamentum potius moralitatis, quamque etiam philosophicam appellant. Huic igitur regulæ præcipienti aut approbanti si ex integro conforme sit elementum objectivum actus bonum erit, adeoque in ordine præsenti capax elevari per altiorem gratiæ apprehensionem, et capax adeo elementi subjectivi supernaturalis; si permittenti solum, licitum simpliciter, si vero præcipienti aut vetanti aliqua ratione difforme, erit malum. Porro ut explicavimus, ad hoc ut actus ipse bonus, vel saltem licitus, aut malus existat, oportet activitas agentis elementum illud objectivum apprehendat et prosequatur, et quidem ita ut sub formali ratione bonitatis vel liceitatis aut malitiæ moralis illud apprehendat intellectus, et qua bonum vel licitum, aut quamvis malum prosequatur voluntas. Sicut enim, quidquid sit de ordine morali objectivo et necessario sive ante omnem hypothesim, sive posito aliquo facto, deque ultimo hujus ordinis fundamento, ne concipi quidem potest obligatio moralis etiam objectiva nondum videlicet subjecto applicata sed applicabilis tantum, sine relatione ad activitatem agentis capacis cognoscendi hunc ordinem eumque libere volendi et sine cognoscibilitate huic obligationi objectivæ essentiali : ita obligatio subjectiva de facto applicata agenti, seu obligatio moralis actu constringens subjectum agens, supponit cognitionem actualem objecti sub hoc ipso respectu morali, et libertatem prosequendi illud quatenus bonum, aut licet sit malum. — Hic igitur est rerum ordo ubi quis constituitur subjective seu in actu secundo ligatus : 1° lex promulgata, seu obligatio certo cognoscibilis ex parte sua. Et hæc est

obligatio proprie dicta in actu primo, quæ proin non includit formaliter in suo esse judicium subjecti certum seu evidens de obligatione. 2° Sequitur directa apprehensio et judicium saltem in eadem apprehensione implicitum obligationis objectivæ, quo posito et hæc applicatur subjecto idque ligat in actu secundo, et simul subjectum implicite et radicaliter habet 3° judicium reflexum, quo tanquam judicio ultimo et practico, reflexione in seipsum facta, sibi explicite affirmet se sentire ligamen, adeoque certum fit se esse ligatum in actu secundo. Neque hæc proinde judicium reflexum obligationem in actu secundo constituit sed illam sequitur et ut objectum habet, multo minus ad esse formale obligationis in actu primo pertinet (1).

Ut regula sit applicabilis debet esse cognoscibilis et ut applicetur oportet cognoscatur.

Quæ autem de obligatione dicuntur, eadem hac in re applicari possunt suo modo regulæ approbanti et permittenti, ut patet. Concipi autem non posse absque dicta relatione, obligationem etiam solum objectivam, haud difficulter ostenditur : obligatio enim moralis essentialiter dicit necessitatem ordinis mediorum ad finem, quo servato tale ens ad finem suum, quæ perfectio ejus est, perveniat (2), simul vero essentialiter supponit ens rationale capax cognoscendi illam ordinis necessitatem quæ liberæ ejus activitati imponitur, eamque limitat, determinat ac dirigit, adeoque ex parte ipsius obligationis objectivæ cognoscibilitatem requirit, cum voluntas libera se determinare non possit ad agendum secundum aliquam regulam, quam ei intellectus non proposuerit. Concipitur itaque obligatio objectiva antecedenter quidem ad actualem manifestationem et cognitionem ejus,

(1) Vid. Lugo, *de Fide*, Disp. 5, sect. 1, nn. 11 sqq. Et uberius explicatam utramque obligationem reperies etiam infra Parte II, Sect. II, C. I.

(2) Hanc necessitatem ordinis nos ultimatim in ipsis rerum essentiis adeoque in Deo fundatam, et consequenter ad ejus repræsentationem in divino intellectu a voluntate Dei necessario sancitam et tali determinatæ creaturæ impositam dicimus : ab hac tamen explicatione non pendet veritas hic asserta : quomodocumque enim explices etiam falso obligationem objectivam, firmum manet eam non transire in subjectivam nisi modo explicato.

minime vero antecedenter ad ejus cognoscibilitatem et ad capacitatem entis rationalis cognoscendi eam, et libere prosequendi objectum propositum.

Et a pari generaliter loquendo, sicut regula supponit ens regulandum, omnis moralitas objectiva et consequenter imputabilitas proprie dicta supponit ens rationale liberum, qua tale agendi capax, et ita moralitas de facto participata ab agente et inde realis imputatio de facto ac meritum aut demeritum supponit cognitionem actualem objecti sub respectu morali ejusdemque prosecutionem liberam, seu aliis verbis moralitas objectiva non facit ipsum actum esse moralem, nisi applicetur et uniatur potentiæ volitivæ mediante cognitione. — Vix necesse putamus advertere non esse confundendam moralitatem quam incompletam seu philosophicam appellavimus cum obligatione objectiva quæ etiam aliquando obligatio incompleta dicitur, illa enim ut modo dictum est antecedit formale Dei imperium, hæc vero illud supponit et præscindit tantum ab actuali cognitione ejusdem imperii promulgati et cognoscibilis (1).

Ex dictis duo inferre licet : 1^{m} ex parte regulæ moralitatis omnino exigi ut sit ab agente cognoscibilis quod nunc paulo amplius est expendendum; 2^{m} ex parte agentis requiri omnino ut regulam sibi applicet per scientiam, qua de re in sequentibus.

§ II. *Quomodo sit cognoscibilis regula objectiva.*

I.

57. Quæcumque rationem regulæ morum habent, etiam simplex consilium aut regula approbans, ut dirigere possint, cognoscibilia sint oportet. Mandatum igitur quodcumque ferens superior, illud ipse immediate vel mediate quibus imponit certo manifestare debet, quod æque de Deo valet ac de homine superiore. *Voluntas superioris debet manifestari subditis.*

(1) Vide infra n. 77. coll. nn. 181, sqq.

Lex autem stricte dicta, quæ, licet cum præcepto commune habeat ut obligationem inducat, in multis tamen ab eo differt, quorum ultima radix essentiale discrimen fundans in eo consistit quod lex, non ita præceptum, communitatem qua talem afficiat, lex inquam, ex ipsa natura sua et ex sua parte, non tantum ex parte subditorum (quippe qui ut obligentur eam cognoscere debeant), non tantum, dicerem, ut obliget, sed ut efficaciam obligandi præcontineat et sit lex, exigit cognoscibilis esse determinato modo, per externam nempe et publicam propositionem a legislatore factam ipsi communitati. Ideoque ponitur promulgatio non ut qualiscumque requisita conditio, sed ut essentiale requisitum ipsam naturam legis complens, in ipsa legis definitione; quæ est : regula superioris voluntate rationabili posita, *nuntiata ab eo communitati perfectæ cui præest*, obligans in commune bonum subditos ad aliquid agendum vel omittendum.

Ad legem requiritur promulgatio.

58. Hanc autem necessitatem promulgationis ita post D. Thomam (1) declarat Suarez (2) : « Illa ergo » (lege æterna de qua specialis difficultas est et infra dicetur) « omissa, de aliis legibus seu de lege externa (3) optima est ratio D. Thomæ : quia ut lex plene constituta sit, oportet, ut habeat efficaciam obligandi, sed hanc non habet donec promulgetur; ergo donec promulgetur non est vera lex, ac subinde promulgatio est de ratione legis. Major constat, quia lex est mensura et regula communis operationum habens vim obligandi... Minor etiam probatur, quia ut regula de se obliget, oportet, ut quantum est ex parte sua, sit sufficienter proposita. Est autem lex regula, non pro una vel altera persona

(1) Iª 2æ, Q. 90, a. 4.

(2) *De Legg.*, L. I, c. 11, n. 3.

(3) Supra l. c., n. 2, loquens de speciali difficultate quoad promulgationem in lege æterna, distinxerat duplicem statum legis : « unus est mere interior, prout lex consideratur in mente legislatoris; alius est exterior, prout lex existit extra legislatorem vel in ipsis subditis vel in aliquo signo manifestante voluntatem legislatoris. Promulgatio ergo ut ex vi ipsius vocis constat, dicitur respectu legis externæ ».

sed pro tota communitate lata; ergo debet esse proposita publico modo et communitati accommodato, talis ergo publicatio seu propositio, promulgatio appellatur. » Notandum tamen cum ipso Suarez infra (1) : « Castro L. I de Lege pœnali, cap. 1, tantam dicit esse hujus promulgationis necessitatem ut nec Deus ipse possit lege positiva ab eo data aliquem obligare sine legis publicatione. Hoc autem est verum de publicatione, ut dicit notitiam legis proportionatam obligationi : hæc enim est necessaria ex parte ipsius hominis, quia nisi ei proponatur objectum, non potest moveri, nec peccare, et ita non potest cum effectu obligari. Promulgatio autem publica, et externa, ac sensibilis, de qua nunc tractamus, non est ita necessaria in legibus Dei de potentia absoluta, quin possit Ipse tanquam supremus Dominus obligare omnes per privatam notitiam etiam mere interiorem. Ille autem modus non esset hominibus accommodatus, et præsertim pro multitudine seu communitate humana. » (Cæterum tale mandatum indueret potius naturam præcepti communis quam legis). « At vero simpliciter, et ex natura rei loquendo talis promulgatio est necessaria ex parte ipsius legis, quia hoc postulat conditio legis, quatenus est regula publica totius communitatis, ut dictum est, et ideo licet lex sit a principe decreta et publicari mandata, quamdiu promulgata non est, non obligat, etiamsi privatim sciatur. Postquam autem promulgata est, de se jam obligat omnes, ad quos per se potest notitia ejus pervenire, nec oportet, ut alia intimatio quasi juridica singulis fiat. »

II.

59. Hæc omnia in lege positiva valde clara sunt, suo tamen modo etiam legi naturæ applicantur. « Est præterea observandum, » ait Suarez (2), « hanc promulgationem aliter in naturali lege, aliter vero in positiva requiri : nam in

Promulgatio in lege naturali.

(1) L. c., n. 6.
(2) L. c., n. 4.

priori invenitur certus modus promulgationis a natura definitus, quia sicut illa lex naturalis est, ita ex se determinat conditiones legis. Promulgatur ergo eo ipso, quod ex natura ipsa manat. Oritur enim ex specifica ratione talis naturæ, et ideo licet promulgatio fiat in singulis, non censetur esse propositio particularis sed communis vox totius naturæ, vel potius auctoris ejus, quia licet loquatur ad singulos, loquitur ut persona publica, quia loquitur, ut auctor ipsius naturæ. »

In lege supernaturali connaturali gratiæ.

60. Quod autem spectat ad legem naturalem quatenus dixit Suarez, supra, comprehendere supernaturalia præcepta connaturalia gratiæ : « illa [enim] lex non promulgatur a Deo ut auctore puræ naturæ, sed ut auctore gratiæ : promulgatur autem eo ipso, quod gratiam infundit. Et quia de se paratus est ad infundendum et promulgandum omnibus lumen fidei, per quod lex illa manifestatur, ideo dicitur, quantum est ex se omnes illuminare. Et ita sicut numquam defuit in universo sufficiens fidei propositio, quantum fuit ex parte Dei, ita numquam defuit sufficiens illius legis promulgatio. Modus autem quasi connaturalis illius legis fuit, ut inciperet a revelatione ; postea vero per traditionem descenderet a parentibus ad filios, prævenient simul et cooperante Deo cum singulis ad illuminationem illius legis percipiendam. Alia vero ratio est de lege positiva, sive divina sive humana ; hæc enim semper fertur per se primo pro aliqua communitate, et ideo semper requirit vocem publicam legislatoris per se vel per alium communitati loquentis ; non tamen ex se determinat certum modum illius publicæ manifestationis, sed ab ipsomet legislatore præscribendus est, quia non potest aliunde determinari » (1).

III.

Promulgatio in lege æterna.

61. De lege tandem æterna major est, ut insinuavimus, difficultas. Dici enim potest : lex æterna non est lex, nam non promulgatur ; in quantum vero promulgatur creaturæ,

(1) Ibidem, nn. 4 et 5.

non est æterna. Respondemus juxta doctrinam Suarez (1) :

1° « Non esse de vocibus contendendum, nam ut ita simpliciter appelletur (lex æterna) sufficit usus Sanctorum et Sapientum in tali materia. »

2° Nomen istud : lex, ut aptetur tum legi æternæ, tum legi naturali et positivæ, non oportet ut sit omnino univocum, sed sufficit etiam ut sit æquivocum seu analogum, sicuti est, analogia nimirum attributionis, sicut Deus et creatura dicuntur ens non sensu metaphorico sed proprio, ita tamen ut analogice tantum inter se conveniant, quæ eodem nomine exprimuntur; et per consequens non debet promulgatio omnino eodem modo convenire utrique legi, dummodo ratio discriminis demonstretur.

3° Distinguamus itaque duplicem statum legis, quorum unus est interior in ipsa mente et voluntate legislatoris, alter exterior quando lex subditis jam est proposita. Lex positiva in priori statu nondum vocari potest proprie lex sed potius propositum ferendi legem, quia mutabilis est voluntas legislatoris humani, et ita lex Dei positiva supponit quidem liberum Dei decretum, quod nullo modo innotescere potest sine positiva revelatione, in hoc tamen jam discrimen reperitur quod decretum etiam liberum Dei, æternum est, et pro suo tempore obligat, ideoque quocumque modo certo nobis innotescat, obligationem de facto inducit. Agendo vero de lege æterna ex ipsis rerum essentiis manante in divina essentia fundatis, quæ non exspectat nisi conditionem quamdam, creationem videlicet, ut illico manifestetur, sine actu positivo ulteriori, eo solo quod Deus sit summe cognoscibilis et quidquid extra ipsum existit, ejus essentiam et perfectiones manifestat in quantum est : merito dicitur illa lex ab æterno promulgata in actu primo, in actu secundo promulganda, quando illa conditio ponitur, seu quando subditi non jam in essentiis possibilibus supponuntur sed in ipsa rerum actualitate. Et secundum hoc S. Thomam explicat, merito quidem, Suarez, ubi S. Doctor loqui-

(1) Vide Suarez, *De Legg.*, L. II, c. 1, nn. 5 et 7-11.

tur de promulgatione legis in Verbo respectu possibilium subditorum, per appropriationem nimirum non per proprietatem, sicut dicuntur ideæ esse in Verbo.

4° Revera lex æterna est quasi analogum primum, fundamentale, quod participatum in natura rationali fit analogum in actu, ex quo omnes leges suam vim obligandi trahunt. « Unde in hac lege æterna per se loquendo, nulla alia publica promulgatio requiritur, ut actu obliget, sed solum quod veniat in notitiam subditi; unde si per internam revelationem nobis innotesceret divinæ voluntatis decretum, sufficeret ad obligandum; quod non ita est in lege hominis, nam licet subditus sciat, jam esse scriptam apud regem, ea non obligatur, donec promulgetur. Ordinarie autem Deus non obligat homines per legem æternam, nisi mediante aliqua exteriori lege, quæ sit illius participatio, et significatio, et ita quando aliæ leges promulgantur hominibus, promulgatur ad extra lex ipsa æterna; ideoque in illa, ut æterna est, non habet locum propria promulgatio » (1).

§ III. *Consectaria.*

62. 1° Licet prius sit, objective exstare regulam seu legem æternam in Deo quam res regulandas esse in actu, prius tamen est concipere res regulandas et mensurandas quam earumdem regulam formaliter ut regula est, et naturam proinde esse actu quam regulari per legem naturalem. Nam in ipsa mente divina priora sunt possibilia ut materia conformanda ordini, quam ordo qui sit eorum regula et mensura, cum hæc ex illis oriatur. Ita pariter prius aliquod objectum actus concipitur in suo esse physico, quam relatio ejus ad regulam objectivam morum, seu in suo esse morali. Ulterius, moralitas objectiva cum prior sit quam ab agente participetur, participetur autem mediante cognitione, prius est cognoscibilis sit et cognita ab intellectu quam participa-

(1) Suarez, eodem l. cit., n. 11.

bilis a voluntate ; habemus igitur : prius est ratione et natura subjectum in agendo regulandum, quam ejusdem regula et agere quam regulari. Prius est eadem ratione elementum objectivum actus esse quam conformari regulæ, et elementum subjectivum esse quam objecti moralitatem participare. Prius est in elemento subjectivo cognoscere quam appetere, adeoque moralitatem intellectu apprehendere quam voluntate participare.

Unde sequitur, si de lege obligante ad agendum vel omittendum aliquid, loquamur : subjectum agere pro libitu donec sciat se obligari. Hæc autem conscientia obligationis supponit duo : 1° obligationem objectivam quæ est effectus immediatus, proprius et essentialis legis vere existentis, respondentem obligationi subjectivæ ut fundamentum et radicem ; 2° quæ obligatio objectiva transeat in subjectivam seu applicetur subjecto per scientiam.

Dicimus : obligationem objectivam *respondentem subjectivæ*, et : legis *vere existentis;* quia lex existimata non est lex nec inducere potest obligationem, si vero erronee quis credat esse legem, est quidem obligatio subjectiva eam servandi, obligatio autem objectiva quæ hujus obligationis subjectivæ fundamentum est, non est ex illa lege existimata sed ex alio imperio legis naturæ ; et in casu erroris circa ipsam legem naturæ non illud dictamen existimatum directum et absolutum, obligat, sed aliud, posito errore seu tali mentis statu, reflexum et quasi conditionale ; quod infra clarius explicabitur.

Libertas prior lege.

Hanc habitudinem libertatem inter et legem Auctores communiter exprimunt axiomate : libertas prior est lege, seu : possidet libertas, donec certa demonstretur legis obligatio.

Si sermo sit de regula simpliciter approbante, debet, ad hoc ut actus participet bonitatem objectivam, voluntas appetere eam bonitatem fundatam in conformitate cum aliqua regula vere approbante non existimata tantum (eodem modo ac supra) et per cognitionem sibi proxime applicatam.

Si tandem de actu supernaturali agatur, oportet sit illa apprehensio et prosecutio supernaturalis, ut supra diximus.

63. 2° Quod cognoscibilitatem legis spectat, ex dictis intelligitur :

a). Legem positivam non sufficienter seu non vere promulgatam i. e. communitati a superiore non propositam et certo ac publice manifestatam, non esse legem.

Lex non promulgata non est lex.

b). Legem supernaturalem quatenus concipitur comprehendere, ut Suarez ait, « supernaturalia præcepta connaturalia gratiæ, » quod attinet promulgationem, ab una parte accedere ad naturam legis positivæ, quatenus facto libero Dei innititur quod sola positiva revelatione innotescit, ab alia vero parte ad naturam legis naturalis sub hypothesi, quatenus supposito facto, connaturales ad statum facto illo institutum obligationes, ratione fide illustrata, derivantur.

c). Lex tandem naturalis cum promulgetur per ipsam rationem naturalem, sequitur eam obligare quatenus est formaliter voluntas Dei manifestata per dictamen rationis. In præsenti vero rerum ordine, cum Deus eam per revelationem supernaturalem etiam promulgaverit, quod quidem moraliter necessarium erat supposito lapsu, etiam ad hoc ut sufficiente integritate, facile absque dubitatione et errore ab omnibus generatim esset cognoscibilis, ratio lumine fidei et revelationis instructa eam dictat hominibus, imo ex christiana revelatione clariorem suam notitiam hauriunt, qui fidem etiam respuunt. Cum tamen humana ratio sit valde infirma, et nativam ejus imbecillitatem, addito vulnere peccati originalis, non omnino auferat lumen supernaturale, in sequentibus videndum erit an et quousque error et ignorantia circa eamdem legem contingere possit, et quid dicendum aut faciendum, si in judicio directo seu prima apprehensione (cum judicio implicito) objecti sub respectu morali, sit error, aut periculum erroris et dubium ex ignorantia. Cum vero hac in re, et in definiendo quid formaliter sit lex naturæ, ejusque promulgatio in quo præcise sita, totius fere in hac dissertatione solvendæ questionis cardo versetur, hoc loco generalibus notionibus tradendis desti-

nato, ab ulteriori inquisitione postea fuse prosequenda merito abstinemus (1).

Caput Secundum.

DE COGNITIONE LEGIS NATURALIS, ET IGNORANTIA AC ERRORE IN JURE NATURÆ, IN CONDITIONE PRÆSENTI GENERIS HUMANI.

64. Prænotanda. 1. Ignorantia et error non tantum directe circa jus versari concipi possunt, sed etiam indirecte quatenus error et ignorantia alicujus facti obscurare et tollere possunt cognitionem obligationis. Ignorantiam autem illam aut errorem, quæ *facti* vocant, sive tollant cognitionem obligationis juris naturæ, sive legis positivæ, nos ut possibiles ponimus, neque absurdis quorumdam antiquorum hac de re cavillationibus confutandis immorabimur, eo vel magis quod ex dicendis a fortiori educi poterunt quæ respondere oporteat, si quæ difficultas afferri possit.

Non agimus de ignorantia et errore facti.

2. Potest quæstio moveri de viribus rationis in communi, quid nempe ignorare possit non quivis homo sed etiam sapientes communiter; aliter institui potest quæstio quid ignorare aut in quo errare possit singularis homo.

Ignorantia et error est communis vel singularis hominis.

3. Agimus potissimum de errore et ignorantia invincibili: facillime enim quis ignorat et errat, cum ignorare vult et consentit. Ita autem invincibile sumimus quod nimirum adhibita diligentia in simili re adhibenda, non fuerit depulsum, qua ratione cum inculpabili convenit.

Agitur hic de ignorantia et errore invincibili seu inculpabili.

His præ oculis habitis, rem haud minimi certe momenti duplici paragrapho absolvemus, prima varios errorum anfractus breviter insequentes, altera sanam probatamque exponentes doctrinam.

(1) Vide nn. 183 sqq.

§ I. *Errores vitandi.*

65. Ut fieri assolet, alii per defectum, alii per excessum peccantes, vires rationis nativas ultra modum illi extenuant, hi ultra limitem extollunt; sunt et alii qui duos status ordinis supernaturalis, integritatis nempe primitivæ et lapsus per originale peccatum, reparati per Christum, inter se conferentes, ita vulnus inflictum exaggerant ut quod rationi lumine revelationis et fidei adjutæ convenire deberet, jam culpabiliter eidem impossibile contendant.

Priores illi sibi invicem oppositi, non tam in re ipsa : quid ignorare et in quo errare invincibiliter possimus, quam in rei explicatione : unde ortum habeat, inter se discrepant et errando a medio veritatis deflectunt. Posteriores ipsam rem erronee exponunt, et proinde nobis pejores existunt, ignorantiam et errorem quidem admittentes nimium, nullum autem invincibilem.

66. Illi, Rationalistæ videlicet eisque oppositi Traditionales et quidam idearum innatarum patroni ac Ontologistæ, directe de interventu revelationis supernaturalis in ordine ad cognitionem religiosam et moralem inter se contendunt.

Rationalistæ. Rationalistæ quidquid supernaturale audit respuentes adeoque statum præsentem omnino pervertentes atque negantes, non tantum non necessariam esse revelationem sed inutilem imo et impossibilem impie volunt, adeoque independentiam rationis ab omni auctoritate eidem rationi evolutæ fidem imponente asserunt, unde etiam fit ut vires rationes ejusque sufficientiam in re religiosa et morali variis conatibus nimium amplificent.

Traditionalistæ. 67. Traditionalistæ, initio quidem laudabili zelo illis resistere cupientes, at statum quæstionis haud rite perspicientes, polemice rem considerando inefficaciter hostes religionis impugnarunt, dum enim rationem non esse autonomam demonstrare præprimis oportebat, eam minime autodidacton esse potius conati sunt ostendere; thetice autem quæstionem inspiciendo, in alium oppositum errorem

lapsi sunt. In thesi enim de insufficientia rationis, seposita primum quæstione facti seu historica, in qua catholici communiter conveniunt : primum hominem quoad corpus et animam perfectum creatum, ab initio evolutam rationem, donum loquelæ a Deo acceptum miramque scientiam possedisse, et Deum externa revelatione ei locutum esse ac veritates supernaturales legemque proposuisse; in quæstione juris, ut ita loquar, duo sunt : 1^{m} utrum homo possit absque institutione et doctrina pervenire ad evolutionem rationis acquirendasque notiones ordinis religiosi et moralis, an vero ea institutio sit physice necessaria; 2^{m} hoc etiam dato institutionem illam physice necessariam esse, an ideo asserenda sit physica necessitas revelationis positivæ, *traditione propagandæ* ad posteros, cui fides respondeat, aut sine cujus doctrina saltem, ratio etiam evoluta et magistra non possit aliorum non evolutam in actum reducere; ita ut, veritate aliqua religionis naturalis postea vitio hominum obliterata, denuo eadem revelatio physice fiat necessaria. Ad hæc dicimus :

1° Erroneum esse asserere necessitatem physicam revelationis positivæ ad cognitionem veritatum religionis naturalis ordinisque moralis.

2° Etiamsi necessaria esset physice institutio adeoque in primo homine magisterium divinum ad evolutionem rationis, inde non sequi revelationem requiri *cui fides respondeat*, neque revelationem *ad posteros propagandam*, cum semel evoluta ratio aliorum non evolutam posset instituere, non præcise proponendo revelata ut revelata aut fide credenda, sed docendo quæ ipsa sibi acquisivit, sive magisterio id factum fuerit sive alio modo. Adeoque in hypothesi quod veritas primitus magisterio homini tradita postea vitio obliteretur, non potest requiri physica necessitate nova revelatio, cum ratio nihilominus permaneat evoluta.

3° Cæterum falsum est requiri illo modo institutionem ut ratio sese evolvat : cum assertum hoc nedum probetur,

repugnet (1), adeoque nec primo homini ad hoc necessaria fuit revelatio.

Quidam, ontologistæ et idearum innatarum patroni.

68. 4° Eodem modo falluntur illi ontologistæ, qui institutionem physice necessariam dicunt ut ideæ intuitivæ entis infiniti, quam erronee adstruunt, reflexam et evolutam apprehensionem acquiramus. Similiter quidam ideæ innatæ aut idearum innatarum patroni quorum placitum cæteroquin non admittimus, qui ob eamdem rationem de necessitate institutionis eodem modo loquuntur.

69. Illorum autem varios discursus, cum minus directe nobis adversentur, ad theologiam dogmaticam propriis locis confutandos remittimus. Illi potius nobis rem facescunt qui admisso quidem statu lapsus et reparationis, at perverse intellecto, nullum errorem aut ignorantiam saltem juris invincibilem admittunt.

Protestantes et Jansenistæ.

70. Ita Jansenius, hac in re Protestantibus affinis, « in suo *Augustino* contra communem et certam doctrinam insurrexit, » ut exponit Terillus (2), « docuitque ignorantiam invincibilem » (quam ipse invincibilem in se ponit licet culpabilem, adeoque nobis id æquivalet dicere nullam esse vere invincibilem seu inculpabilem) « non excusare a peccato, non tantum denominative sed vere tali, seu a peccato habente veram ac propriam imputabilitatem ad culpam et pœnam peculiarem, diversam a malitia cujusvis alterius peccati, et a pœna alteri cuicumque peccato debita. Hoc ut probet Jansenius : Tom. 2 de statu naturæ lapsæ libro 2, pro capite 2 hunc titulum ponit : *Ignorantia etiam quæ necessitatis est, non voluntatis, hoc est invincibilis, non caret peccato : ut dogma fidei ab antiquis traditum* ; quam doctrinam ex variis locis Augustini confirmare nititur. Verum paulo post cap. 5 utitur distinctione de ignorantia juris et facti ; suamque doctrinam non vult intelligi de ignorantia facti, illam enim ex mente Augustini putat excusare a crimine ;

(1) Vide S. Thomam, QQ. disput., *de Veritate*, Q. 11, *de Magistro*, præsertim art. 1.

(2) *Tract. de Conscientia probab.* (Leodii, 1668), Q. XVI, *De Ignor. invincib.*, n. 9.

idcirco limitat assertionem suam ad ignorantiam juris, quod quia aliud est naturale, aliud positivum, iterum limitat assertionem ad jus naturale et asserit ignorantiam invincibilem juris divini positivi excusare transgressores a peccato, sed ignorantiam legis naturalis, etsi invincibilem, transgressores a peccato non excusare. Fundamentum discriminis in eo ponit quod lex positiva, sicut et veritas hujus vel illius facti, nullam habeat necessariam connexionem cum natura innocente, cum qua tamen naturalis legis notitia necessario connectitur, nam cum natura sine naturalis legis scientia ad finem suum pervenire non possit, sequitur creaturam rationalem tali notione aliter quam in pœnam peccati privari non posse. Hac autem, utpote debita, dum in pœnam peccati privatur, per talem ignorantiam, quæ essentialiter est pœna peccati, non excusatur quominus peccet, quando per illam facit, quod lege naturæ facere non debebat. Itaque per eum ignorantia legis naturalis, etsi invincibilis, est vitiosa et ad peccatum imputatur, cum ignorantia invincibilis tam legis positivæ, quam facti, non sit vitiosa, quia utrimque absque peccato ignorari potest ab innocente, et ideo quæ ex tali ignorantia fiunt, nec sunt, nec computari debent ut peccata. »

71. Jansenius autem ab ipsis Protestantibus, Calvino, Luthero, Zanchio accepit quidquid de ignorantia invincibili tradidit, uti evincit Dechamps, *de hæresi Jansen.* l. 1, disp. 5 *de Ignor. invinc.*, cap. 4. Exponit porro idem Terillus causam radicalem, propter quam Calvinistæ, Lutherani et Jansenistæ errorem hunc de imputabilitate ignorantiæ invincibilis et impotentiæ voluntarie contractæ licet retractata voluntate, tam mirifice prædicent. « Calvinistæ, » ait, « et Lutherani acerrime negant, homines habere libertatem ad peccandum et non peccandum. Hanc hæresim palmarem, et insignem blasphemiam ut plausibilius tradant et altius infigant, eam per hoc confirmant, quod ignorantia semel volita semper moraliter maneat voluntaria, et sit vere vincibilis, atque ad peccatum et reatum imputabilis, donec reipsa tollatur. Unde sequitur, homines qui olim aliquid vincibiliter

ignorarunt, quique hic et nunc eam deponere non possunt, necessario peccare, quia quidquid agunt necessario imputatur ad peccatum. Nam operari contra conscientiam est peccatum; rursus sequi conscientiam operantem ex errore aut ignorantia vincibili, peccatum est. Homo autem constitutus in errore vincibili non potest non operari vel juxta vel contra dictamen erroneum. Ergo necessario peccat. Ergo ad peccandum non requiritur libertas ad non peccandum » (1). Eodem modo loquuntur de impotentia ac de ignorantia (2).

« Jansenistæ similiter, inter suas hæreses, aliquas habent quasi fundamentales, a quibus cæteræ dependent. Præcipuæ autem sunt duæ, Calvinistarum hæresi jam citatæ prorsus affines. Prima est ista. *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.* Altera vero sic habet. *Ad merendum, et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* Has duas propositiones Innocentius X in quadam constitutione, quæ incipit *Cum occasione impressionis* anno 1653 edita, tanquam hæreticas expresse damnavit. Prima harum propositionum manifeste sequitur ex doctrina quam in duabus jam positis assertionibus » (de ignorantia et impotentia non imputabili) « ex hoc ipso rejecimus... Secunda etiam eorum propositio necessario connectitur cum doctrina in eisdem impugnata, maxime vero cum eo, quod impotentia implendi præceptum, libere admissa, semper imputetur ad culpam, donec reipsa amoveatur; inde enim sequitur quod aliqui absque indifferentia ad oppositum peccent, ii scilicet qui potentia ad legem Dei custodiendam se sponte privarunt. Unde inferunt quod libertas indifferentiæ ad proprie peccandum non sit necessaria, sed sola libertas a coactione sufficiat. Neque huc tantum respiciunt Jansenistæ dum tradunt doctrinam assertis jam positis contrariam, sed multo maxime in eumdem scopum respi-

(1) Terillus, l. c., n. 15.
(2) Vide ibidem, n. 16.

ciunt, quando contendunt ignorantiam legis naturalis, etsi invincibilem non excusare a peccato. Inde enim iterum utramque hanc hæresim confirmant, quia tam pueri baptizati semper apud infideles educati, aliique variis de causis patiuntur ignorantiam legis naturalis penitus invincibilem, deestque illis hic et nunc possibilitas eam ignorantiam deponendi : ergo etsi justi sint, necessario peccant, ergo ad demerendum non requiritur libertas indifferentiæ » (1).

His itaque perversis impiisque placitis jam catholicam opponamus doctrinam (2).

§ II. *Exponitur ac probatur vera doctrina.*

Prima juris naturæ principia ignorari non possunt.

72. 1° In homine rationis compote non datur plena ignorantia juris naturæ, non primorum scilicet ejusdem juris principiorum. Sicut enim prima principia metaphysica in speculabilibus, ita in agibilibus sunt evidentia ac per se nota. At hæc sunt promulgatio legis naturalis. In hac ratione fundantur SS. Patres, quando unanimiter et constanter docent : legem naturæ a Deo scriptam esse in cordibus hominum et neminem latere, esse insertam, inditam in mente (1) : « Nullus hominum est, qui hanc legem nesciat... Idcirco justum Dei judicium est scribentis in corde humani generis : quod tibi fieri nolueris, alteri ne feceris ». Hieron., *epist. ad Algasiam*, 8. « Nullus (enim) est qui faciat alteri injuriam, nisi qui fieri nolit sibi. Et in hoc transgreditur naturæ legem, quam non sinitur ignorare, dum id quod facit, non vult pati ». August., *in ps.* 118, *conc.* 25, 4. Cfr. Beda, *in ps.* 118; Orig., *in epist. ad Rom.*, l. 2, nn. 7-9; Chrysost., *hom.* 5 *in ep. ad Rom.;* Tertull., *de coron. milit.*, 6; Ambros., *de fuga sæc.*, c. 3, n. 15.

(1) Ibidem, n. 17.

(2) Qui, Jansenii ex Augustino potissimum dimicantis, confutationem ex professo cupit, adeat Terillum, l. c., nn. 45-81; ibidem, n. 82 mentem S. Augustini dilucide explicatam inveniet.

(1) Hoc, non vero recentiorum sensu, qui de ideis innatis loquuntur, esse intelligendos Patres, vide apud Franzelin, *De Deo Uno*, Thesi VII[a].

Neque proximæ ex iis conclusiones.

73. 2° Neque homo rationis compos invincibiliter ignorare potest conclusiones, quæ proxime i. e. facile et evidenter ex iis primis principiis deducuntur.

Si enim prima principia non possint ignorari et facilis ac evidens sit ex iisdem conclusio, lumine naturæ omnes vel hanc conclusionem perspicient vel saltem ad inquirendum obligationem persentient; si autem quærant infallibiliter invenient. Ad rem etiam hic sunt testimonia citata Patrum, quæ tamen ne ita urgeas cave, quasi nulla umquam in ullo casu particulari contingere possit ignorantia juris naturæ, ut adversarii faciunt, inter quos Sinnichius, in *Saule*, l. 1, c. 96. Patres enim quos citat nullibi hoc dicunt aut sufficienter insinuant. Præterea plerique antiquorum, quos idem allegat, ex uno eodemque motivo æque negant ignorantiam invincibilem juris divini ad salutem necessarii, ac ignorantiam juris naturalis excusare a peccato : illud alterum itaque cum nec ipse Sinnichius videatur admittere velle, immerito affert auctoritatem eorum qui in unico suo fundamento ab ipso discrepant et dissentiunt. « Paucissimi antiqui plene cum his » (Jansenistis etc.) « senserunt. Nam plerique, qui negarunt dari in ullo ignorantiam invincibilem juris naturæ etiam negarunt in iisdem dari ignorantiam invincibilem juris divini etiam positivi : nonnulli etiam negarunt in ullo dari inculpabilem ignorantiam facti, a quo malitia peccati dependet, et quidem ex eodem fundamento, ex quo negarunt in ullo dari inculpabilem ignorantiam juris naturalis. Unde cum fundamentum illud antiquorum adversarii illi non admittant circa ignorantiam invincibilem juris positivi seu facti, immerito contra ignorantiam invincibilem juris naturalis allegant auctoritatem antiquam stabilitam in fundamento quod ne ipsi quidem admittunt » (1).

(1) Deschildere, *De Princip. conscientiæ formandæ* (Antverp. 1664), Tract. 2, c. I, § III. Notat Victoria, *Relect. V*, n. 9, plures antiquos inde deceptos hac in re fuisse, quod crederent, si ignorantia inculpabilis eorum quæ ad salutem sunt necessaria etiam jure positivo, admittatur, dicendum esse aliquos salvari posse absque fide Christi et baptismo, quod non sequitur.

Huc facit aperta doctrina Apostoli *ad Rom.* II, 14-16 : « *Cum enim gentes, quæ legem* (positivam, mosaïcam) *non habent, naturaliter* (ex cognitione ipsius legis naturalis seu lumine rationis naturalis) *ea, quæ legis sunt*, (quæ a jure naturæ præcepta etiam lege mosaïca proponuntur) *faciunt, ejusmodi legem* (positivam) *non habentes, ipsi sibi sunt lex* : (per propriam naturam et rationem naturalem) *qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddente conscientia ipsorum*, » etc. Egregiam hujus argumenti expositionem quam brevitatis gratia omittere cogimur habes apud Franzelin, *De Deo Uno*, Thes. III[a] et IV[a], coll. V[a].

In conclusionibus remotioribus ignorantia est possibilis.

74. 3° Etiam in præsenti statu ignorantia invincibilis est possibilis et sæpe apud indoctos habetur, imo per longum tempus, in conclusionibus remotioribus « ad quorum judicium requiritur multa consideratio diversarum circumstantiarum, quas considerare diligenter non est cujuslibet sed sapientum » (1). Quod cum sæpe alias, tum præcipue accidere solet quando videntur plura præcepta ad contradictoria obligantia concurrere. Unde merito Suarez : « alia vero præcepta, quæ majori indigent discursu ignorari possunt invincibiliter præsertim a plebe... » (2). Et sapienter Sanchez : « De reliquis decalogi præceptis « (quæ non possunt ex primis juris naturæ principiis nullo negotio a quovis homine deduci) « placet quod docent Corduba et Vasquez... nimirum, quando nulla circumstantia vestiuntur quæ a culpa excusare videatur, possunt diu ignorari, non tamen toto vitæ curriculo; quippe sunt ita naturæ consentanea, ut non possit non semel vel iterum animum pulsare fœditas et turpitudo peccati. At aliqua circumstantia apparenter excusante vestita possunt toto vitæ curriculo invincibiliter ignorari, ut furtum licere ad erogandam eleemosynam vel perjurium ad propriam vel alienam vitam tuendam... Et similiter, ait Azor... hodie multos rusticos invincibiliter ignorare peccatum esse mentiri propter aliquod maximum

(1) S. Thomas, 1ª 2æ, Q. 100, a. 1.
(2) *De Legg.*, L. II, c. 8, n. 7.

bonum. Cui ego addo reperiri multos invincibiliter ignorantes esse peccatum perjurium ob vitam aut honorem propria vel aliena tuenda, et similiter pollutionem esse peccatum, quod maxime in pueris contingit » (1). Addi potest in idiotis et pueris contingere ut species luxuriæ contra naturam valde turpes, aut non esse malum, si asserentibus creditur, aut minus malum esse quam fornicationem vel etiam non consummata cum altero sexu, apprehendant. — Cæterum communissima est hac de re auctorum doctrina (2).

Imo in difficilioribus etiam communis ignorantia contingit.

75. 4° Imo in quibusdam difficilibus conclusionibus, non tantum apud individuos homines aut apud pueros et idiotas contingit ignorantia, sed apud ipsos Doctores primarios, adeoque commune et publicum dubium circa jus naturæ locum habet, semper loquendo de statu præsente (3). Res est a posteriori clarissima : quia viri sanctissimi atque doctissimi inter se discrepant de quibusdam an sint jure naturæ licita necne. Exempla apud S. Alphonsum, lib. I, n. 174. Confirmatur. Si ignorantia et error non posset esse sine culpa, sequeretur quod in materia justitiæ controversæ

(1) Sanchez, *de Præc. Decal.*, L. I, c. 16, n. 33.

(2) Vide inter antiquos Albert. M., in 2^{i} dist^{m} 22^{m}, a. 10; S. Thomam in eumdem loc. Q. 2, aa. 1 et 2, et 1^{a} 2^{æ}, Q. 94, a. 4; Adrian., quodl. 1, a. 3 (a. 1488), et quodl. 4 (anni 1493); S. Antonin. p. 2, tit. 1, c. 11, § 28; S. Bonav.. in eumd. loc., a. 2, qq. 2 et 3; qui de ignorantia inculpabili absque distinctione loquuntur vel etiam expresse aliquam juris naturalis et divini ignorantiam invincibilem adstruunt. Vide etiam S. Alph. L. I, Tract. II, c. 4, Dub. I, Dissert., cui citare arrisit plures, ait, quia antiprobabilistæ; alios etiam citat inter quos Sylvium, Sotum, Salm., Isamb., Medinam. De recentioribus autem a pluribus sæculis, iis exceptis qui Jansenismi similisve erroris influxum subierint, nullum est dubium. — Hac de re vide etiam De Schildere, op. et l. cit., n. XI; Terill., op. cit., Q. 16, nn. 83, sqq.; et præs. *Revue des sciences ecclésiastiques*, 4e série, 1878, tom. 8 pp. 251, 545; 1879, tom. 9, pp. 335 ss.

(3) Quousque autem in specie se extenderet ignorantia, si revelatio per Christum non fuisset facta, difficile esset definire, nec necessarium est ad rem nostram : sufficiant quæ generatim de necessitate revelationis supra diximus. Similiter parum utilitatis haberet quæstio quid in statu puræ naturæ esset dicendum.

nec theologi possent quæstionem tuta conscientia resolvere nec judices pronuntiare sine certitudine, quia exponerent se periculo irrogandi injuriam parti quam condemnant : et tenerentur theologi in materia juris naturæ aut nullam resolutionem ponere aut semper pro tutiore resolvere. At consequens est absurdum.

Conciliantur auctores in quæstione de ignorantia invincibili.

76. Atque hinc haud difficulter conciliantur inter se auctores, qui perversi non sint, ferme omnes.

Qui enim *a)* indefinite loquuntur et dicunt ignorantiam juris naturæ esse damnabilem, non loquuntur universaliter sed intelligendi sunt juxta doctrinam a nobis traditam : alioquin contra se sentirent cum in multis ipsi ignorent quæ spectant ad jus naturæ. Deinde periculo peccandi homines exponerent (quod jure naturæ prohibetur) exponendo seipsos periculo docendi errores contra jus naturale : quia bona fide aut ignorantia, ut supponunt, non excusarentur. Sed neque excusarentur partem tutiorem amplectendo, quia nisi hoc rationabile sit jus naturæ infringit, arctando aliorum conscientias et temere imponendo onus importabile. *b)* Jam pauci omnino sunt, qui expresse dicunt nullam ignorantiam juris naturæ esse invincibilem. *c)* Præterea qui absque distinctione dicunt ignorantiam non excusare, intelligendi sunt de ignorantia vincibili.

Enodatur magna difficultas circa ignorantiam juris naturæ.

77. Est tamen in hac quæstione de ignorantia juris naturæ aliqua difficultas quam eo vel minus dissimulare volumus quod solutionem nobis non deesse existimamus. Est autem difficultas hæc : quæ prohibet jus naturæ sunt intrinsece mala, ideoque prohibita quia mala ; jus autem naturæ ex ipsa natura manans, et ratione naturali promulgatur et cum dictamine rationis tandem confunditur : quomodo igitur, deficiente ratione in re intrinsece mala reprobanda, manente vero lege objectiva, non est improportio et simul inordinatio refundenda in ipsum naturæ auctorem? Vel dicendumne est tantum patere rationem manifestantem quantum legem manifestandam, interveniente autem culpa hominis defectum oriri in ratione et improportionem, aut, manente naturali defectibilitate rationis Deum infallibiliter

subvenire homini facienti quod in se est et oranti, ita ut numquam nisi culpabiliter jus naturæ ignoret et infringat?

Ut omnis difficultas e medio tollatur (1), plura sunt observanda : 1° accurate distinguendum est inter moralitatem philosophicam, incompletam, fundamentalem, quæ oritur ex sola convenientia aut disconvenientia cum natura rationali, et moralitatem theologicam proprie dictam, completam, formalem, quæ oritur ex conformitate aut difformitate a voluntate divina, ut supra explicavimus. Porro non omnis voluntas Dei est regula, ut observat S. Thomas, non enim omnia velle debemus aut possumus quæ Deus vult sed ea quæ Deus vult nos velle (2). Vult autem Deus ut velimus facere quæ naturæ conveniunt, omittere quæ ei non conveniunt. Voluntas autem illa divina non est formaliter lex seu imperium nisi in quantum nobis manifestata per medium a Deo auctore naturæ ad hoc institutum, rationem nempe naturalem. Et hæc igitur voluntas Dei manifestata seu promulgata per rationem est formaliter lex naturalis.

2° Distingui debet ratio humana formaliter ut humana, perfecta nimirum cum omnibus viribus integris et tota extensione qua inveniri naturaliter potest in hominibus, et ratio individua quæ valde deficere potest a perfectione; imo cum defectu a perfectione completa suæ naturæ inveniri potest in toto genere humano in aliquo statu. Si priori sensu sumatur, tantum patet ratio promulgans, sive communis ratio naturæ perfecta intelligatur, sive ita perfecta in aliquo singulari homine inveniatur, quantum lex naturæ promulganda. In posteriori sensu, non ita se res habet : sed cum formaliter non sit lex nisi in quantum promulgata, si *a)* dubium et ignorantia sint communia et publica, ita ut pro illo statu non possit voluntas Dei innotescere ordinem naturalem proponens, vere deficit imperium formale naturæ, nec peccatum proprie dictum etiam materiale committi potest, si vero *b)* error et ignorantia quæ ponimus invincibilia

(1) Vide etiam infra nn. 183 sqq.
(2) Vide 1m 2æ, Q. 19, a. 10.

non sint eo modo communia, aut sint privata, erit culpæ materiali, non tamen formali aliquo modo locus, ut infra explicabimus (1).

3° Ut itaque intelligatur talem defectum sive ex vitio ortum sive ex naturali infirmitate et physica defectibilitate, non inducere improportionem veram moralem, seu in ordine ad assequendum finem, neque Deo, auctori naturæ esse culpæ vertendum, dicimus : si talem perfectionem excludentem omnem defectum postularet natura, Deum non fuisse defuturum. At hoc gratis asseritur. Sicut enim Deus creando, necessario deficientem in perfectione et a naturali perfectione defectibilem, in quantum finita est, producit creaturam, nec inde obligatur omnem defectum tollere et sanare, dummodo naturalem perfectionem ei concessam communi naturali providentia tali naturæ proportionata conservet, ei concurrat eamque gubernet, ita in ordine morali sufficit per se gubernatio et providentia quæ ad finem est necessaria et moraliter conducit, non vero quæ omnem tollat defectum (2). Unde quod Deus semper ignorantiam et errorem auferre debeat a quærente et orante, gratis asseritur, nisi fortassis in necessariis necessitate medii; præterea licet Deus paratus sit quærenti veritatem aperire, nisi tamen obligetur homo ad taliter quærendum, invincibiliter ignorabit, quamdiu aut non peccat in investigando, aut nil cogitat de tali obligatione. At utrumque sæpe contingit. Unde cum ille defectus sit physicus et in ordine morali mere materialis, inhærens nativæ imperfectioni creaturæ, nescio quomodo probari possit Deum ad illum tollendum obligari, eo vel magis quod ipsa eadem recta ratio indicet quid, cum directe non certo innotescit lex, sit faciendum, ut suo loco exponemus (3).

(1) nn. 187 et 188; et nn. 228 et 229.

(2) In statu præsenti supernaturalis est providentia, ut supra exposuimus; qua parte autem relate ad legem naturalem totamque quæstionem de qua hic agimus, supplet partes providentiæ naturalis, quæ in statu naturæ obtineret, non inducit discrimen in hac solutione. Unde de statu supernaturali non est peculiaris disputatio hic instituenda.

(3) In parte II[a] præsertim, in specie numeris modo in nota citatis.

Caput Tertium.

DE DICTAMINE CONSCIENTIÆ, EJUSQUE PROPRIETATIBUS.

78. In præsenti sectione egimus hucusque de cognoscibilitate et cognitione regulæ objectivæ morum; inquirendum demum est quomodo de facto per cognitionem applicetur, et in regulam subjectivam, proximam moralitatis theologicæ transeat, quæque sint proprietates hujus regulæ formalis participatæ seu potius applicantis regulam ipsam objectivam. Aliis verbis expendenda nunc habemus principia recte formandæ conscientiæ, in genere.

§ I. *Applicatio regulæ objectivæ morum, seu series actuum in transitu a regula objectiva ad regulam formalem, proximam.*

I.

79. Ut recto tramite firmoque passu clara in luce ambulemus, liceat, quod omnino necessarium videtur, ex philosophis mutuari, quæ spectant ad operationes intellectus in cognoscendo, generatim : hoc tamen sedulo notando nos quidem eam cognitionis humanæ theoriam quæ nobis videtur vera exposituros, nequaquam tamen ab iis quæ in ea non universaliter admittuntur, pendere veritatem earum rerum quas de conscientia dicendas habemus, sed tantum a conclusionibus quas aliter atque aliter explicant, omnes tamen admittunt, quippe quæ a nemine pleræque negari possint cum tanta evidentia præfulgeant ut sint indemonstrabiles, utpote quæ sint plerumque judicia immediata conscientiæ quibus error subesse nequit.

Principia philosophica de cognitione generatim.

Attenta itaque natura subjecti cognoscentis, animæ nimirum intellectivæ quæ simul est forma corporis, cum ope-

Subjectum cognoscens.

rari sequatur esse, dicendum est objectum proprium, et immediatum ac formale humanæ cognitionis esse essentiam intelligibilem rerum sensibilium, et nihil esse in intellectu quod prius non fuerit in sensu. Cum autem intellectus non semper sit in actu, oportet aliqua determinatio ab extrinseco veniat, ab objecto nempe quod simul specificat cognitionem; cum tamen intellectus sit potentia vitalis, determinatio vitalis sit oportet adeoque intellectus simul passivus sit simulque activus.

Objectum formale cognitionis.

Hoc posito, ut ordine procedamus, distinguamus in operatione intellectus triplex stadium: perceptionem, judicium et certitudinem.

80. 1. Posita impressione in sensu quam sensus intimus experitur ut suam, deinde eodem sensu intimo objectum percipiente ut a subjecto distinctum, jam anima qua intellectiva se determinat, ex ipsa sua operatione sensili, ut proprium suum objectum exquirat: duplicem imprimis facit inconscienter et naturaliter præcisionem: a facto nempe subjectivo sensationis, et a facto objectivo existentiæ objecti cum notis suis individuantibus; hoc autem facto oritur *objectum quo* intellectus, ut dicunt, seu species intelligibilis impressa, qua determinatur intellectus quatenus passivus est ut per eam objectum percipiat, idque sibi conceptu exprimat.

Perceptio intellectualis.

81. 2. Ulterius, cum intellectus natura sua tendat ad cognitionem perfectam quæ non est nisi in judicio, ex ipsa perceptione intellectuali determinatur ad reflectendum, primo reflexione psychologica qua conscius fit perceptionis et conceptus, deinde reflexione ontologica in ipsum objectum unde ortum habet conceptus. Sicut itaque duplici præcisione sibi accepit conceptum objecti, ita duplici per reflexionem compositione reddit quasi objecto seu applicat ei quod ab eo accepit, ut constet et judicari possit conceptum convenire cum objecto; præcisioni a facto subjectivo sensationis respondente reflexione psychologica, præcisioni vero a facto objectivo existentiæ objecti et notis ejus individuantibus, reflexione ontologica in hoc ipsum objectum determinatum. Hoc præstito videt objectum in mente seu conceptum, et

Judicium.

objectum extra mentem esse conformia seu conceptum habere realitatem objectivam, non tamen esse identica ; cum igitur habeat duos terminos distinctos sed conformes, omnia habet necessaria elementa judicii et judicat objectum esse tale quale concepit et cum primus conceptus sit conceptus entis quatenus existentis primum judicium erit : objectum est.

Ut autem pateat quomodo ab initio inclinetur intellectus ad notiones morales, animadvertendum est intellectus perceptiones incipere a maxime universalibus, notionibus scilicet transcendentalibus, et quidem omnium primam esse notionem entis ut existentis, sicut diximus; jam vero, inter ipsas notiones transcendentales est bonum : dum videlicet intellectus sibi assimilat ens sub ratione veri, jam voluntas quæ eadem est anima expetit sibi proponi objectum suum proprium : ens sub ratione boni, et intellectus quidem necessario prosequens suum objectum prius illud considerat in ordine ad se et deinde ad voluntatem, quam in ordine ad alia a subjecto diversa. Quomodo autem ulterius acquirantur et amplificentur conceptus ad ordinem moralem pertinentes supra breviter indicavimus.

Quando jam intellectus plures rerum notiones modo explicato acquisivit, non semper pro imbecillitate sua immediate videt convenientiam aut disconvenientiam inter se, ut Angelis circa naturalia contingit, sed duos terminos quos immediate non videt convenire aut disconvenire, uni tertio confert, qua mediante collatione veritatem inveniat, quod est ratiocinari.

Certitudo. 82. 3. Sicut intellectus reflectit in perceptionem ad hoc ut perveniat ad cognitionem in judicio ; ita, quando agitur de judicio lato, nondum quiescit, donec judicium ut verum cognoscat : nisi aut impossibilitatem veritatis inveniendæ percipiat, quo casu saltem hujus impossibilitatis certitudinem habet in qua quiescat; aut nisi a voluntate cohibeatur, quæ ubi intellectus rei evidentia non determinatur, hoc imperium habet ut, subtrahendo objecta aut mediante aliquo judicio reflexo intellectus : rem esse laboriosam, inutilem, etc.,

intellectum ab inquirendo avertat, quo casu saltem incertitudinem suam reflexe certo cognoscit intellectus, cum ab inquirendo cessat. Sæpe etiam fit in judiciis practicis ut, cum directe certitudo non attingitur imo erratur, certitudo reflexe oriatur et indirecte, reflectendo in judicium directum seu in talem statum mentis incertæ aut errantis, qua de re latius postea erit agendum. Reliquum est videre quomodo fiat reflexio illa in judicium, ut acquiratur certitudo. Simul itaque ac adest judicium evidens vel objective certum, quod ita dicitur quia natum est assensum certum rapere, aut evidentia impossibilitatis rei inveniendæ, aut tandem interveniat modo dicto voluntatis imperium : non potest sensus intimus non sentire hunc influxum determinantem intellectum, atque intellectus si reflexione psychologica attendat factum illud internum quod in ipso est, conscius fit seu certus sibi est aut directæ suæ certitudinis, aut incertitudinis. Certitudo enim hæc subjectiva conscientiæ est essentialiter actus mentis reflexus super factum internum : intellectum nempe rapi ab evidentia judicii, aut simpliciter certum esse, aut alio quocumque modo se habere. Est actus ille tum apprehensio et notitia antecedens judicium reflexum, clara claritate radicali, fundans subsequens judicium certum, tum etiam conscientia actualis seu judicium immediatum conscientiæ minime errori obnoxium, et ita evidens ut sit indemonstrabile. Porro, si intellectus conscientiam habet directæ certitudinis ob evidentiam judicii, aut certitudinem objectivam ejusdem aut evidentiam impossibilitatis inveniendi veritatem, reflectit jam reflexione ontologica in hanc ipsam causam suæ certitudinis seu in evidentiam aut certitudinem objectivam, a qua descendit certitudo in mente, et in visione illius evidentiæ quam apprehendit et de qua iterum reflexe potest judicare, demum quiescit (1). Sicut enim a natura sua determinatus est moveri a vero, et quidem necessario moveri a vero evidente : ita in vero evidente tandem regressus quiescit.

(1) Hæc ut clarius intelligantur et difficultates præcludantur, omnino lege Lugo, *de Fide*, disp. 5, sect. 1, nn. 8 et sqq.

Potest tamen fieri ut intellectus assentiatur assensu simpliciter certo, nec ulterius reflectat, adeoque certitudinem directam solam, non reflexam acquirat. Imo ex infirmitate, inadvertentia non infrequenter negligit reflectere, quando judicavit rem non evidentem nec objective certam sed apparentiam tantum veri habentem, esse veram, ex ignorantia et errore. Dico negligit reflectere : sensus tamen intimus, qui falli nequit, in casu renuntiat simpliciter absentiam dubitationis, et conscientia, si esset, idem judicaret eoque ipso reflexio ontologica excitaretur : at sæpe intellectus, occasione illius absentiæ dubitationis, nedum reflexe eam attendat, cum directe erraverit in hoc errore sistit, et absentiam dubitationis cum certitudine confundit. Hæc quæ exposuimus potissimum quod certitudinem attinet maximi sunt momenti in disputatione de conscientia, et continuo ante oculos habenda, ut ex dicendis luce clarius apparebit.

II.

Applicatio illarum notionum ad rem moralem.

83. In hoc secundo numero, notiones præmissas eo ordine quo eas exposuimus, applicamus ad rem nostram.

1. Apprehensio objecti sub respectu morali.

1. Apprehensio objecti sub respectu morali. Posita ratione sufficienter evoluta et cognitione ordinis moralis ditata, intellectus jam apprehendet objecta in ordine ad agendum cum illa nota morali bonitatis aut malitiæ aut liceitatis, simplici quasi et directa apprehensione instinctiva, sæpe confusa tamen ita ut judicium de moralitate objecti non statim evolvatur sed implicitum adsit (1). Quamvis enim variæ intellectus operationes ad hoc prærequirantur, eæ vix reflexe animadvertuntur, aut sæpe etiam a memoria intellectiva supplentur, quæ statim objectum taliter repræsentat, antea perceptum.

(1) Quomodo non videatur impossibile ut sola apprehensio moveat voluntatem, dummodo talis sit ut, licet dici non possit judicium formale, sit tamen judicium virtualiter, quia nimirum taliter proponit objectum, ut ex vi illius possit generari assensus et judicium formale, vide apud Lugo, *de Fide*, disp. 11, sect. 3, coll. disp. 5, sect. 1 et 2.

84. Potest porro objectum ceu agibile in ordine ad moralitatem duplici modo apprehendi.

1° Ita ut lex ipsa præcipiens aut regula approbans objectum intellectui proponat, quo casu directe apprehenditur obligatio moralis aut bonitas absque obligatione, indirecte autem et concomitanter objecti convenientia sibi sub ratione boni jucundi cum annexa aliqua ratione mali seu defectus, in qua apprehensione indirecta est radix libertatis physicæ.

Dico : lex præcipiens aut regula approbans : quia lex vetans, cum sit de actus omissione obligans semper et ad semper, et permissio cum sit simplex absentia regulæ obligatoriæ vel probantis, infrequenter apprehenduntur priores ita ut ipsæ proponant objectum agibile. Potest ergo et quidem multo frequentius :

2° Ipsum objectum agibile directe menti occurrere qua bonum jucundum invitans ad agendum, concomitanter autem ejus relatio ad regulam morum seu boni honesti. Si vero cum voluntati electionem proponit intellectus nullo modo hanc relationem advertat, actus non erit deliberatus et moralis (1).

Huic inadvertentiæ æquiparantur ignorantia et error invincibiles præcise qua parte sunt ignorantia veræ regulæ, qua parte autem error est judicium falsi æquiparatur cognitioni, quo modo infra explicabimus. Notemus apprehensioni simplici neque veritatem neque falsitatem inesse, sed tantum judicio sequenti : quod generaliter verum est et reflectenti patet. In nostra itaque præsenti materia, quamvis prima apprehensio moralitatis judicium implicite continens seu quæ materia judicii est, per se non sit vera aut falsa, judicium tamen primum et directum explicitum de moralitate objecti potest esse errori obnoxium, quatenus moralitas

(1) Lege omnino apud S. Thomam, quomodo eadem potentia animæ distinguatur in rationem superiorem et rationem inferiorem (*Summa*, 1ª, Q. 79, a. 9); et quid ad utriusque judicium spectet in actu humano (1ª 2æ, Q. 15, a. 4; et Q. 74, a. 7). Necnon QQ. disp. *de Verit.*, Q. 15. Et hic infra P. II, nn. 174 sqq. Cfr. Lugo, *de Fide*, disp. 5, sect. 1, n. 18.

subjective apprehensa ex objecto, eidem applicetur et tribuatur sub ratione formali diversa ab illa sub qua apprehensa fuit moralitas ejus, licet materialiter unum et idem sit objectum.

2. Judicium de moralitate objecti directum.

85. 2. Judicium directum de moralitate objecti hic et nunc agibilis non semper est immediatum, ita ut posita apprehensione objecti ejusdem, statim evolvatur judicium de illius moralitate, sed potest esse atque sæpe est mediatum, deductum.

Immediatum.

1° Immediatum est si moralitas immediate innotescat, quod tum frequentius fit quando ipsa regula directe apprehenditur, minus frequenter ubi directe objectum, concomitanter ejus relatio ad regulam morum percipitur. Quotiescumque enim moralitas ex ipsis terminis judicii est evidens, discursus omnino inutilis est, nec umquam judicium ex terminis evidens deducitur tamquam ignotum ex præmissis notis, licet forma syllogistica et tunc componi posset, in qua tamen consequens immediate notum esset æque ac præmissæ, ac proin nulla vis syllogistica illationis inesset. Hoc semper obtinet in conscientia angelorum, saltem circa operabilia in ordine naturæ.

Deductum. seu mediatum.

2° Mediatum est et deductum idem judicium fere semper etiam in rebus obviis; non tantum videlicet in iis de quibus multum disputant theologi, sed in iis etiam quæ ab omnibus admittuntur concorditer, at propter varietatem adjunctorum in singularibus casibus multum variantur et, vel non possunt absque seria consultatione determinari, vel saltem non absque omni discursu licet facili et quasi instinctivo determinantur.

86. Discursus porro seu illatio illa fit vel sine formidine errandi, cujus rei causa est aut ipsa evidentia seu facilitas deductionis, aut error invincibilis; vel non fit absque omni formidine errandi.

Absque formidine errandi:

Propter evidentiam.

A. Consideremus primo ratiocinium sine formidine erroris *a)* propter evidentiam deductionis. In hoc casu, hunc habemus syllogismum : quæ regula jubet vel approbat, sunt facienda vel sunt bona (et quod minus frequenter directe

menti occurrit, ut diximus) : quæ regula vetat sunt mala, quæ non vetat sunt licita.

Atqui regula jubet vel approbat hanc actionem (et minus frequenter) : regula vetat, vel permittit hanc determinatam actionem.

Ergo hæc actio hic et nunc est facienda, vel bene fit; aut : non licet, vel fieri potest.

Si vero objectum agibile directe menti occurrat:

Illa actio licet etc... quam lex non prohibet...

Atqui hanc determinatam actionem nulla lex prohibet...

Ergo hæc actio hic et nunc licite ponitur...

Major est principium directum synteresis, ut vocant, quæ nihil aliud est quam habitus elicitivus principiorum universalium operationis moralis (1). Directum, aio, quod nimirum enuntiat de moralitate in se, sine reflexione ad eamdem prout subest actui intellectus et ab eo quasi circumstantiatur. Minor est applicatio illius principii ad ipsam actionem hic et nunc agibilem.

Hac applicatione facta statim fluit, ut conclusio, judicium directum evidens.

b) Si absit formido errandi, sed adsit reipsa error, eodem modo proceditur; minor autem syllogismi est falsa, adeoque erronee applicatur principium evidens synteresis, et conclusio est judicium falsum. Qua de re nihil ulterius est dicendum, sed tota res in eo versatur, quomodo in casu deveniatur ad dictamen certum conscientiæ, de quo sub 3. *Ob inadvertentiam aut errorem.*

87. *B.* Si deductio fiat cum formidine errandi non devenitur ad judicium sed ad dubium, aut ad summum ad judicium probabile, cui respondet assensus suspensio, vel etiam opinio, non tamen certitudo neque etiam assensus ille persuasionis seu mera absentia omnis formidinis errandi. Hic eadem valet animadversio quam modo sub *b)* adjecimus, *Cum formidine errandi.*

(1) Sumitur etiam pro ipsa potentia, intellectiva videlicet, in ordine ad cognoscenda illa principia universalia operabilium.

ideoque statim transimus ad tertium stadium de acquirendo scilicet dictamine certo conscientiæ.

3. De dictamine certo conscientiæ :

88. 3. Si *A.* deductionis conclusio sit judicium absque formidine errandi elicitum, et quidem :

In casu judicii directi evidentis, vel objective certi.

a. Si sit judicium seu dictamen rationis directum evidens aut objective certum nulla est difficultas : renuntiante enim sensu intimo determinationem intellectus et intellectu reflectente super hoc factum internum ejusque causam modo supra explicato in notionibus generalibus, statim exurgit dictamen reflexum ultimum, practicum conscientiæ : hoc esse faciendum, aut omittendum, esse bonum vel licitum. Vel sistit intellectus in certitudine sua directa ejusmodi dictaminis (1).

In casu judicii erronei in se, aut immerito absque formidine eliciti.

89. *b.* Si vero conclusio non sit evidens sed tantum vera appareat ex inconsiderantia, sive tandem objective vera sit sive ex errore invincibili falsa, signum est sensum intimum renuntiare quidem absentiam formidinis, intellectum vero non exprimere judicium sensus intimi sed ulterius saltem implicite judicare quasi res esset directe certa : neglecta videlicet reflexione psychologica, qua appareret rem non esse certam simulque excitaretur reflexio ontologica qua tolleretur vel illa apparentia falsa veritatis, vel inevidentia veritatis, vel saltem ostenderetur qua certitudine reipsa de re constat, intellectus statim transit ad hoc judicium quasi in se esset certum aut evidens et in eo sistit, ex influxu prioris erroris directi, aut perseverante quacumque de causa priore inadvertentia.

Supra vidimus in judicio directo evidente intellectum post duplicem reflexionem pervenire ad judicium reflexum seu ultimum dictamen conscientiæ certum ac evidens quod idem enuntiat ac judicium certum directum ; hic vero duplex illa reflexio negligitur, quæ si fieret, error detegeretur, debet igitur vel alio modo perveniri ad dictamen reflexum, ulti-

(1) Nunc præscindimus a quæstione qualis sit directa illa certitudo, an semper stricto an etiam minus stricto sensu, intelligenda, pro natura rei de qua agimus, in re nempe morali. Quæstio hæc suo loco tractatur infra. Part. II, sect. II, cap. 1.

mum et certum, vel dicendum est dictamen erroneum sufficere ut reipsa inducatur obligatio ad actum, aut bonitas vel malitia in actu, at hoc dici nequit, cum hoc importaret : absque ulla regula objectiva per scientiam applicata moralitatem adesse in actu, siquidem regula quæ per errorem creditur adesse, objective non est, et si præter dictamen erroneum nullum aliud certum ultimatim exurgit, nulla regula applicatur. Si de mera liceitate agatur, cum ad hoc sufficiat defectus regulæ obligantis, aut stante regula defectus scientiæ eam applicantis, sufficit defectus qui est in ignorantia et errore invincibili ad excusandum operantem si regula obligans existat, et dictamen reflexum certum adest implicite et negativum quasi : non ligatur nisi ligaminis conscius. Atqui non sum conscius (quamvis immerito). Ergo non ligor. Quomodo vero ubi de bonitate aut malitia agitur, posito judicio directo erroneo, aut vero quidem sed quod inadvertenter putatur certum, cum tamen scientia ejus non habeatur, pervenitur ad dictamen reflexum certum, proxime practicum de bonitate vel obligatione, aut malitia?

Ut difficultas solvatur (1) 1° observandum est, ut actus determinatus hic et nunc ponendus determinatam aliquam moralitatem participet, duo requiri : ut sit regula hic et nunc applicabilis vere existens, et ut hic et nunc applicetur per scientiam. Unde 2° in casu erroris, quo credatur v. gr. aliqua lex obligare quæ non est, regula absoluta seu abstracte a circumstantia erroris considerata neque applicabilis est neque applicatur; si autem vere adsit at agens qui putat certo adesse non tamen vere certus est, quamvis tunc sit applicabilis non tamen defectu veræ scientiæ applicatur. 3° Videtur tamen in utroque casu vere adesse obligatio eam servandi? Respondemus adesse quidem illam obligationem sed non ex illa regula ortam sed ex alia. Hoc ut intelligatur, considerandum est ipsam rectam rationem docere : voluntatem utpote potentiam cæcam non participare moralitatem

(1) Ad hæc iterum attendantur quæ habet Lugo, cit. disp. 5, s. 1, *de Fide*, et cfr. quæ in hac diss. habentur infra, nn. 187 sqq.

objecti nisi prout ei ab intellectu proponitur, cum non possit nisi per apprehensionem intellectus in suum objectum tendere et in operatione dirigi : præter regulam igitur absolutam et abstracte a modo quo ab intellectu apprehenditur consideratam, est alia regula objectiva seu dictamen naturæ reflexum attento nempe statu mentis regulam absolutam percipientis : si itaque per errorem lex naturalis aut positiva ut applicabilis apparet, cum non sit, non ea lex existimata tantum urget sed solum dictamen naturæ dictans voluntatem amplecti debere bona, refugere a malis; non sunt autem voluntati bona aut mala nisi quæ sub ea ratione ab intellectu eidem proponuntur; adeoque posito errore, dictamen reflexum dictat oppositum illius quod dictaret absoluta lex naturæ, abstrahendo ab errore ; et si de lege positiva existimata prohibente agatur, prohibet per accidens lex naturæ, quod vera lex positiva non prohiberet.

Si vero applicabilis apparet lex quæ vere existit, sed non applicatur quia non adest scientia applicans sed tantum absentia dubitationis seu persuasio quædam, non illa lex vere obligat, sed dictamen reflexum naturæ quod tamen in casu cum illa lege convenit.

4° Posito itaque errore sive circa rem ipsam, sive circa certitudinem ejus in judicio directo, habemus sequens ratiocinium rectum et verum, fundatum in sola absentia dubitationis : hoc debet voluntas amplecti, aut bene, vel male amplectitur quod tale directe judicat (etiamsi erronee) intellectus (posito utique defectu reflexionis qua appareret error, quivis sit). Atqui ita absolute judico esse hanc actionem hic et nunc ponendam (adeoque implicite ac virtualiter saltem conscius sum me actu non dubitare, quod verum est quamvis immerito absit dubitatio). Ergo debeo actum illum ponere, vel bene vel male illum pono. Major hujus ratiocinii est principium synteresis reflexum enuntians scilicet de objecto ut substat actibus intellectus. Minor est actus experimentalis reflexus super statum objecti in mente, prout illud ab actibus intellectus circumstantiatur, implicitus in judicio falso. Est minor illa vera, verum enim est me ita

judicare, quamvis judicium illud sit falsum. Conclusio est dictamen ultimum conscientiæ, proxime practicum, certum.

90. Dicet quis videri hæc contradictoria : negligi reflexionem, et in ratiocinio quo ultimum conscientiæ dictamen deducitur ut minorem ponere reflexionem psychologicam. Advertat, quæso, qui sic loquitur : vere negligi reflexionem psychologicam in statum mentis elicientis judicium directum, quia, si fieret, videret intellectus se rem non apprehendere ut certam sed tantum non dubitare, et inde excitata reflexione ontologica, videret id fieri absque sufficiente causa imo immerito in casu erroris; sed cum intellectus neglecta reflexione, etiam ultra progrediatur, judicando rem esse veram, hoc judicium virtualiter continet statum mentis non dubitantis et ita intelligitur quomodo error directus possit indirecte fundare ratiocinium verum, et qua præcise est judicium falsi æquiparari cognitioni, ut supra insinuavimus (1).

91. Ex dictis intelligitur : *a)* ultimum rationis dictamen directum seu ex principiis directis deductum nec certum esse semper nec verum.

b) Hoc intercedere discrimen inter principia synteresis reflexa, et directa, quod priora semper et essentialiter expetant minorem, qualem diximus, in ratiocinio quo ad ultimum conscientiæ dictamen pervenitur, et vicissim talem minorem semper præsupponere simile principium ut majorem, nec alteri majori talem minorem, aut alteri minori similem majorem adjungi posse; directa vero non postulent talem minorem, imo nec illius sint capacia, cum petant adjungi actibus repræsentantibus ea solum quæ directe constituunt prædicatum quod objicitur, non vero actibus qui

(1) De hoc duplici judicio in casu erroris, altero erroneo, altero recto et certo conscientiæ dictamine, vide Lugo, *de Fide*, disp. 5. sect. 1, n. 20; Salm., tr. 17, *de Fide*, disp. 2, n. 48 et mor., tr. 20. *De Princ. moral.* c. 5, p. 1, n. 4; et Brocardum, *de Consc.*, Q. 2, a. 4, qui optime advertit Vasquez (in 1m 2æ, disp. 60, c. 2) subtilius quam verius disputare, et difficultatem præterire potius quam enodare, dum dicit conscientiam erroneam obligare non ut eam sequaris, sed ut contra eam non agas.

repræsentant illud ipsum prædicatum ut taliter cognitum, seu ut taliter objective existens in mente (1).

c) Directa principia synteresis per se intendi a natura, reflexa potius per accidens propter defectibilitatem rationis nostræ et ignorantiam. Directa enim principia sunt radicaliter et absolute ante omnem hypothesim perfecta morum doctrina, quæ, si intellectus haberet perfectam scientiam de rebus particularibus, sola sufficerent ad conscientiam in omnibus regulandam; nam de facto in tantum non sufficiunt in quantum multæ veritates particulares nos latent. Principia vero reflexa substituuntur ad regulandam conscientiam occurrente dubio et errore (2).

In casu judicii eliciti cum formidine errandi.

92. *B.* Si directum judicium de moralitate sit cum formidine errandi sed advertatur incertitudo tum, facta reflexione psychologica in statum mentis, statim posito hoc judicio sensus intimi ut minore, pro majore vero principio reflexo synteresis, exurgit aliquod dictamen reflexum conscientiæ in hunc modum : stante dubio non potest agere qui de honestate actionis dubitat; atqui video seu sentio me dubitare. Ergo hic et nunc dum dubito agere non possum. Si voluntas hoc dictamen sequatur imperabit examen, et statim intellectus reflectens reflexione ontologica in ipsum objectum de quo dubitabat, vel melius considerando ad certitudinem directe pertingit, quo casu fiet ut supra; vel non potest dubium directe depellere, quo casu recurrit idem syllogismus modo citatus, nisi aliud principium reflexum synteresis suppetat quod cum minore qui sit actus reflexus super statum objecti in mente, ducat ad dictamen ultimum conscientiæ certum ac evidens circa honestatem vel obligationem, aut liceitatem vel illiceitatem actionis. Cum autem illa cognitio reflexa sit essentialiter minor principii reflexi, nulli alii principio appropriabilis, ut diximus, non potest ex natura rei non excitare memoriam talis principii universalis reflexi, æque obvii ac directi cujusque, quocum præmissas constituat evidentes, ex quibus fluat judicium seu dictamen ulti-

(1) Cfr. Terillus, op. cit., Q. XII, assert. 2, nn. 7 et 8.
(2) Cfr. idem, ass. 3, nn. 9 et 10.

mum reflexum conscientiæ, certum ac evidens (1). Sed hic est præcise status quæstionis in parte speciali hujus dissertationis distincte solvendæ.

III.

93. Hoc igitur tantummodo reliquum est, ut quæ minus expresse in præcedentibus tradita sunt magis explicite proponamus, obiter asserta breviter probemus, et ita complere et absolvere conemur quæ de principiis generalibus formandæ conscientiæ explicanda suscepimus.

Complentur principia generalia formandæ conscientiæ.

Liceat antequam progrediamur lectorem monere, qui forte minus attentus multa quidem a nobis enuntiari, pauca vero demonstrari objiciat, multa nobis hic occurrere quæ demonstrari nequeant ob ipsam qua præfulgent evidentiam, cum fere non agatur nisi de iis quæ sensu intimo unicuique constare possunt, et de judiciis immediatis conscientiæ.

Multa hic demonstrari nec debent nec possunt.

94. Quum maximi momenti sit imo tota res in eo fere versetur ut judicii directi et dictaminis reflexi conscientiæ circa actionem particularem, natura et indoles relationesque ad invicem perspiciantur, quasdam in hunc finem ponimus propositiones breviter elucidandas (2).

Indoles judicii directi, et reflexi eorumque relatio ad invicem.

Propositio prima. Coexistere possunt in eodem intellectu duo judicia sibi subordinata circa eamdem actionem particularem, quorum unum ex natura rei sit ultimum et proxime practicum; atque præsupponat alterum quod non necessario postulet esse ultimum sed capax sit admittere alterum posterius.

1. Quomodo subordinentur invicem.

(1) Ex dictis sub hoc punct. II, 3, facile respondebis Vasquezio dicenti (in 1ᵐ 2ᵃᵉ, disp. 58, c. 1, n. 8 et c. 2) : talia principia reflexa posse adhiberi in casu erroris, non tamen de facto adhiberi, quia non advertimus, et ita non esse semper necessarium dictamen evidens ad honestam operationem. Et cfr. infra n. 95.

(2) De his consuli possunt moralistæ passim, antiquiores in commentariis ad S. Thomam, 1ª 2ᵃᵉ, Q. 19, inter quos Suarez, Vasquez, Lessius. Deinde Sanchez, l. I *in Decal.*, cc. 9-11; Bonacina, *de Peccatis*, disp. 2, q. 4, punct. 6-9; Salm., Laymann, *de Conscientia;* aliisque recentiores ubi de conscientia agunt. Præcipue vero Terillus, op. cit., Q. XIII.

Sufficit ponere exemplum. Occurrente dubio de quo supra sub B, si directe devenias ad conclusionem probabilem : hanc actionem licere (pone etiam probabiliorem, ne hic dissensio oriatur, ita tandem ut juxta omnes elicere directe possis absque ipsius liceitatis certitudine hoc judicium certum : prudenter judico hoc mihi licere), poteris ulterius ratiocinari in hunc modum : quod omnibus inspectis prudenter judico licitum, hoc mihi licet. Atqui prudenter judico hoc mihi licere hic et nunc. Ergo istud mihi licet. Ecce hoc ultimum dictamen ex natura rei præsupponit illud prius ex quo tamquam ex præmissa objectiva per actum experimentalem reflexum cognita, ut minore, et ex principio synteresis reflexo quod sponte menti occurrit, ut majore, deducitur. Porro certum est hoc alterum dictamen coexistere posse priori judicio in eodem intellectu; quod autem ex natura rei sit ultimum, inde patet quod nullum ei superaddi potest, quia jam intellectus omnia principia tam directa quam reflexa ex quibus moralitas actionis deduci potest, adhibuit. Præterea si esset aliud directum posterius huic iterum aliud reflexum connaturaliter superaddi posset, si vero novum reflexum posterius processus esset in infinitum, qui est ex natura rei impossibilis et inutilis in principiis hujusmodi ad actionem moralem præviis (1).

2. Judicium directum sæpe non est certum.

95. *Propositio secunda.* Ultimum judicium directum, quod in suo genere, id est tamquam directum, sufficit ad fundandam mediante judicio reflexo actionem honestam, sæpe nec certum est nec evidens.

In re quæ omnibus inspectis incerta manet, utrimque probabiliter opinantibus auctoribus, patet exhausta esse principia directa. Dictamen tamen illud in genere suo, ut directum, sufficit ad fundandam honestatem actionis, secus nullam opinionem probabilem etiamsi probabilior et probabilissima sit, sequi possemus sed tantum quæ directe evi-

(1) V. Lugo, *de Fide*, disp. 5, sect. 1, nn. 11 et sqq. præsertim n. 16; qui ibidem egregie etiam explicat obligationem non formaliter includere in suo esse ipsum judicium evidens de obligatione, quamvis obligatio non sit sine cognoscibilitate ejusdem, ut diximus.

dens sit et certa; quod infra demonstrabitur falsum. Cæterum rudes nullum aliud judicium directum plerumque habent quam nixum auctoritate fallibili parochi aut confessarii sui, et tamen omnibus fatentibus honeste operantur illud sequendo.

Obiter notemus Sanchez (1) et Vasquez (2) dum dicunt ad operationem honestam non requiri dictamen conscientiæ certum, non loqui de dictamine ultimo ex principiis reflexis deducto, sed de dictamine de quo in præsenti sermonem habemus, adeoque eos a communi sententia non recedere. Cæterum Sanchez secus dicendus esset sibi contradicere, cum alio in loco (3) ultimum dictamen certum et evidens requirat. Idem optime Arriaga (4) advertit et probat de Vasquez.

3. Licita operatio requirit exclusum dubium practicum.

96. *Propositio tertia.* Ad licite operandum, requiritur in agente saltem absentia dubitationis actualis seu perseverantis circa actionis liceitatem, seu requiritur saltem persuasio (quæ aliquando certitudo improprie nuncupatur) rem esse licitam.

Probatur ex Apostolo, *ad Rom.* XIV, 14 23 expresse : « Scio et confido in Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei, qui existimat quid commune esse, illi commune est... Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est; quia non ex fide » (i. e. persuasione). « Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est ». Ratio autem est evidens : licet enim qui cum dubio practico operatur non peccet contra legem dubiam, peccat contra certum dictamen naturæ : qui enim vult quod putat esse malum vult malum, imo qui non judicat seu opinatur sed tantum timet ne sit malum, nisi hanc mali apprehensionem excludat, illud participabit voluntas.

(1) Op. Mor. *in Decal.*, l. I, c. 9, n. 18.

(2) In 1m 2æ, disp. 62, c. 5.

(3) Op. cit., l. VI, c. 3, n. 12; et l. I, c. 10, n. 2, coll. *de Matrim.*, l. II, disp. 41, n. 6.

(4) Tom. 3, disp. 23, sec. 2, subs. 2.

Argumentum non fundatur, ut patet, in eo quod opinio falsificari possit quoad objectum materiale, quod videlicet in se possit esse malum vel non, nam hoc in rebus ante omnem hypothesim necessariis non est verum sed tantum in contingentibus; sed fundatur in hoc, quod judicium cum formidine, licet in genere causæ formalis excludat conscientiam directam de actionis illiceitate in illis circumstantiis, non tamen excludit reflexam conscientiam de ejusdem illiceitate quoad alias circumstantias, nominatim quoad hanc quod operer cum formidine oppositi, et eo ipso datur locus conscientiæ reflexæ peccati (1).

Objicitur casus perplexitatis et solvitur.

97. Objici posset casus perplexitatis, quo duo præcepta incompossibilia simul urgere creduntur : quo casu videtur agens semper dubitare de honestate illius quod eligit, et tamen non peccat.

Respondemus : neminem perplexum esse pro uno eodemque instante : nam si judicat aliquid fieri debere non potest simul judicare id fieri non posse, et vice versa. Unde in quovis momento assignabili unum est tantummodo judicium et juxta illud exurgit conscientia reflexa certa. Quod si nullum judicium directum eliciat, eo quod rationes hinc inde eum retrahant, in eo momento etiam nulla erit perplexitas, sed certitudo reflexa habebitur ex principio certo : ex duobus malis disjunctive necessariis minus est eligendum, si æqualia sint nihil refert quodcumque eligatur, quia ad impossibile nemo tenetur, quæ principia omnibus obvia sunt. Imo si poneretur quis habere simul duo judicia directa contradictoria, idem esset dicendum, statim enim mens refugit ab hujusmodi asserto : aliquem necessario peccare, et ad impossibile teneri.

4. Formido in judicio directo non impedit actionis honestatem.

98. *Propositio quarta.* Iis non obstantibus verum est : formidinem ne objectum materialiter sumptum ad quod electio hic et nunc terminatur sit a Deo universaliter prohibitum

(1) Cujus autem speciei et gravitatis sit peccatum contra conscientiam; et quantum peccatum committat qui de gravitate non cogitat, vide AA. passim *de Conscientia*, quorum aliqui recensentur apud S. Alph., *de Consc.*, nn. 22 et 23; vide etiam Brocardum, *de Consc.*, Q. 2.

sæpe non impedire honestatem actionis ad illud terminatæ neque absolutam tollere conscientiæ certitudinem.

Ratio a priori est quia, etsi dubitet agens de honestate objecti illius secundum se, non tamen dubitat amplius de ejus honestate in hisce præsentibus adjunctis, quia evidens est quod sic illi liceat, quamvis reipsa quoad absolutam objecti honestatem adsit formido ne forte aliter se res habeat, abstrahendo ab adjunctis. Quando nimirum lex absolute et directe aliquid pronuntiat inde non sequitur idem pronuntiare in omnibus circumstantiis, sub determinata hypothesi; et ita naturæ lex cum ex ipsa natura dimanet et ratione promulgetur, aliud legis dictamen absolute aliquid edicit, aliud plane diversum urgebit de eodem objecto materiali positis circumstantiis quibusdam, v. gr. errore, ignorantia naturæ inhærente ex nativo defectu : nec inde lex mutabilis est aut mutatur sed mutatis circumstantiis diversa sunt ejus dictamina.

99. Hinc infertur : 1° dubium speculativum recte cohærere cum certitudine practica de eodem objecto materialiter sumpto.

2° Dictum dubium de honestate objecti conjungibile cum certitudine practica de ejus honestate, non ita tendere in objectum ut relate ad omnes omnino circumstantias de ejus honestate dubitet, seu an ullo modo possit objectum cohonestari, quia tale dubium cum dicta certitudine manifesto implicat. Nec procedit quod dicimus de dubio circa honestatem objecti secundum se absolute, præscindendo ab omni circumstantia, quod idem est ac dubium de intrinseca et inseparabili inhonestate objecti secundum se sed tantum de absoluta inhonestate in certis circumstantiis.

3° Hoc sensu non alio docuisse Cajetanum, Navarrum, Suarez, Sanchez aliosque communiter, quod modo sub 1° asserebamus.

Principia synteresis reflexa sunt re re evidentia.

4° Posset forte alicui in mentem venire principia quæ dicimus synteresis reflexa, quale est : quod omnibus debita diligentia inspectis prudenter judico mihi nunc licere, mihi licet; non esse ita objective certa seu evidentia.

Respondetur : negantibus evidentiam demonstrari non posse. At vero sufficit in hac re nostra :

1° Inspicere terminos. Quomodo enim *prudenter* judico licitum hic et nunc si revera ita non est, quamvis forte aliis in adjunctis, abstracte rem considerando, idem objectum materiale non sit licitum. Cæterum dicendum esset auctorem naturæ non providisse : si enim ratio est præco legis naturæ, fieri nequit ut ejusdem rationis dictamen omnibus rite examinatis prudenter elicitum non fundet prudentem et honestam operationem.

2° Habemus testimonium conscientiæ nihil nobis objurgantis, quotiescumque ita egimus.

3° Ab absurdo : negari deberet nos umquam operari posse absque certitudine directa honestatis.

4° Ab oppositio : posset esse peccatum quod ideo facio quia prudenter judico non esse peccatum. At, quod prudenter creditur honestum ne reflexe quidem potest reputari inhonestum.

5° Cæterum, etiamsi de facto non *opinetur* quis rem v. gr. esse licitam, sed assensum suspendat videns tamen post rationes directas exhaustas liceitatem objective vere probabilem esse, occurrent illi principia quæ reflexa vocant probabilismi principia, demonstrantia certo (ut nobis saltem videtur) illam ipsam liceitatem, modo indirecto, sine reflexione in statum mentis (1). Sed hæc pertinent ad sectionem secundam partis specialis de dubio, cum hic generatim tantum formandæ conscientiæ principia sint exponenda. Vides tamen, si verum sit quod dicimus (postea autem demonstrabimus), confirmari certitudinem illius principii synteresis reflexi : « quod omnibus spectatis prudenter credo licitum, id mihi licet »; siquidem aliunde habemus : « quod vere probabiliter licitum est, indirecte certo demonstratur licitum ». Atque hic alter ratiocinandi modus ulterior est et penitior demonstratio honestam esse operationem illius, qui sequitur prudentem suam de liceitate opinionem.

(1) Ideo forte melius vocarentur *indirecta* : ut simul post directa exhausta exurgere significentur, simulque non confundantur cum principiis reflexis synteresis.

Semper recurrit quod sæpe jam advertimus : conscientiæ dictamen directum incertum aliud affirmare de eodem objecto materiali quam dictamen reflexum ; est enim in casu probabili v. gr. syllogismus sequens : quod prudenter creditur in determinatis adjunctis licitum, certo licet taliter credenti. Atqui ego prudenter credo etc. Ergo hoc mihi certo licet hic et nunc. En dictamen ultimum. Directum vero dictamen ultimum erat : probabiliter hæc actio hic et nunc est licita, seu prudenter creditur licita (ponimus nunc hæc æquivalere, infra demonstrabimus). Supra satis explicavimus quomodo ab illo dictamine directo ad reflexum istud deveniatur.

100. Corollarium magni momenti. Quoties non possumus per principia et discursus directos pervenire ad certitudinem de actionis honestate, toties ut honeste operemur necesse est ad principia reflexa synteresis respicere vel ad principia indirecta probabilismi, illisque uti ad dictamen conscientiæ certum eliciendum. De quibus latius in secunda parte.

101. *Propositio quinta.* Conscientiæ dictamen absolute ultimum, reflexum regulans actionem licitam et honestam non tantum importat absentiam dubitationis sed positivam et proprie dictam certitudinem, adeoque ultimatim requirit aliquam objective evidentiam.

5. Judicium absolute ultimum reflexum conscientiæ certum est ac evidens.

Hæc propositio satis elucet ex supra dictis nominatim ex ea quæ modo tradita fuit methodus seu processus quo, etiam posito dictamine directo incerto imo erroneo deveniatur ad dictamen reflexum certum. Adjicimus tantum hoc loco solutionem difficultatis.

Videri posset, evidentiam de qua loquimur, non posse requiri : cum in judiciis ex fide theologica non sit evidentia (1). Respondemus : nullam quidem esse intrinsecam evidentiam ipsius immediate veritatis supernaturaliter credendæ qua talis, sed tantum evidentiam credibilitatis adeoque evidentiam obligationis credendi. Atvero evidens obli-

Judicia ex fide theologica quomodo certa et evidentia.

(1) Recurret sermo de evidentia, et nominatim relate ad fidem divinam infra, n. 163, præs. nota (1).

gatio credendi importat et includit honestatem rei fide propositæ, adeoque hæc honestas mediate est evidens : fieri enim nequit ut evidens sit obligatio ad faciendam rem inhonestam. Unde saltem reflexe habetur judicium certum de honestate etiam in illis quæ fides proponit ut honesta, quamvis ipsa fides sit actus inevidens.

Qualis sit hæc certitudo. Notandum hanc certitudinem ultimi dictaminis reflexi conscientiæ circa actionis honestatem non esse late dictam tantum sed certitudinem moralem proprie et stricte, imo physicam, quoniam nititur reflexe testimonio infallibili conscientiæ ; atque ita reduci posset indirecte ad certitudinem metaphysicam, quatenus si conscientia in immediatis suis judiciis errare posset, nulla esset amplius certitudo : objectum autem ultimi dictaminis reflexi est objectum immediate intelligibile (1).

102. Corollarium. Quod modum loquendi spectat, ex universis supra disputatis patet : stricte loquendo solum dictamen reflexum nomen *conscientiæ* (ut est actus seu judicium) mereri, sive per illud conscius fiat operans de dubio quovis sive de certitudine, directis : illudque semper certum esse et evidens. Unde divisiones conscientiæ in rectam et erroneam, certam et dubiam per se non sunt aptæ, ab auctoribus tamen adhibentur transferendo quæ directo tantum dictamini conveniunt ad dictamen reflexum, ut designent quomodo et ex quo dictamine directo ortum sit ultimum conscientiæ dictamen. Meliori tamen jure inter dictamina directa, dictamen certum nomine conscientiæ venit, quatenus scientia est et actu exercito reflexum judicium continet.

Solum judicium certum meretur nomen judicii conscientiæ.

(1) Vide etiam infra de certitudine in re morali, Parte II, sect. II, c. 1. Ut lector facile deprehendet, ita constanter procedimus, ut non simul totam aliquam quæstionem sub omni respectu proponamus et solvamus, sed tantum in quantum exigit indoles rerum quibus elucidandis adhibetur, ita ut a magis universalibus semper ad magis determinata tractationem nostram deducamus.

§ II. *De conscientiæ ultimo dictamine ceu regula formali operationis moralis.*

I.

Dictamen ultimum conscientiæ regula formalis honestatis theologicæ.

103. *Propositio unica.* Ultimum conscientiæ dictamen de convenientia sive positiva sive negativa, vel disconvenientia actionis hic et nunc ponendæ cum voluntate divina, est proxima regula formalis moralitatis theologicæ.

Optime probat Terillus : « voluntas non fertur immediate in objectum ut est in se, sed ut per intellectum proponitur, ergo si ultimum judicium practicum, a quo voluntas dirigitur, repræsentet operationem ut conformem divinæ voluntati, voluntas fertur in honestatem objectivam theologicam » (supra enim ostendimus ultimo illi dictamini certo et evidenti infallibiliter respondere voluntatem Dei), « ergo actus ejus erit theologice bonus, quia actus specificatur ab objecto in quod fertur, sub ea ratione sub qua fertur in illud. E contra vero, si dictamen ultimum conscientiæ proponat electionem objecti tanquam repugnantem cum divina voluntate, electio illa erit difformis primæ et universali regulæ objectivæ honestatis theologicæ, ergo erit mala theologice, ergo ultimum dictamen conscientiæ est proxima et immediata regula totius moralitatis theologicæ. Est quidem regula, quia si operatio voluntatis illi conformetur, evadit recta et honesta; turpis vero et, ut ita dicam, curva, si eidem difformetur. Hoc autem est proprium regulæ. Est autem regula proxima et immediata, quia inter operationem voluntatis et ultimum conscientiæ dictamen nil mediat. Porro ultimum dictamen conscientiæ est regula formalis, quia est vitalis, intellectualis ac formalis applicatio, seu unio, per quam regula objectiva repræsentatur et applicatur voluntati » (1).

(1) Op. cit., Q. XIV, ass. 2, nn. 3 sqq.

II.

104. Ut obvietur idearum confusioni, notetur :

1) Aliter existere moralitatem in intellectu, aliter in voluntate : prius est in intellectu per modum veri et regulæ quam in voluntate per modum regulati et imputabilis.

2) Voluntatem movere quidem intellectum et omnes alias animæ potentias non tamen quoad omnes actus, e contra voluntatem regulari ab intellectu quoad omnes suos actus, numquam vero regulare illum actum intellectus a quo ipsa regulatur, ut supra declaravimus de facultatibus animæ agentes.

Undenam sit rectitudo appetitus et rectitudo rationis.

105. Superest hac in re difficultas, in qua multi desudant, ait Terillus, sed plurimi frustra (1). Est autem hæc : voluntas recta, juxta probata, pendet a rectitudine rationis. Sed rectitudo rationis desumi non potest nisi vel a rectitudine appetitus, ut Aristoteles 6. *Ethic.*, c. 2 dicit : bonitatem intellectus practici esse activæ mentis veritatem, quæ appetitui recto consentanea est : et en circulus vitiosus; vel a conformitate cum objecto : sed contra est quod sæpe voluntas sit recta licet ratio erret.

Refert Terillus responsum S. Thomæ (2) quod approbat, licet ipsi non videatur totam rem explicare, deinde Vasquez (3) et Arriaga (4) quorum explicationem speciosam quidem at plane insufficientem dicit nisi aliquid addatur, et licet putent illi aliam se viam iniisse, tandem cum illa S. Thomæ eos convenire. Ipse Terillus paulo aliter discurrendum sentit cum Gersone (5) et Corduba (6) aliisque; in

(1) Op. cit., Q. XII, ass. 5, nn. 14 et sqq. Cfr. quæ infra habentur hujus Dissert. P. II, s. II, c. 1.

(2) 1ª 2æ, Q. 19, a. 3, ad 2m.

(3) In cit. locum S. Thomæ, Disp. 58, c. 1.

(4) Disp. 22, sect. 1.

(5) 3 Part., *Tr. de vita spir.*, Lect. 4, corol. 3. (In edit. Antverp. a. 1706 invenitur ille tract. in tom. 3, op. mor. part 1).

(6) Lib. I, Q. 23, § *Resp. tripliciter*, apud Terillum l. cit.

fine tamen concludit auctores revera ab invicem non discrepare, neque ab ipso, sed omnes quoad rem ipsam in unam conspirare sententiam. Explicatio autem huc redit : appetitus rectus est qui regulatur a ratione recta, recta autem ratio est quæ est conformis suo objecto. Attendendum est autem :

1) Ultimum conscientiæ dictamen, ut dictum est, sæpe inferri ex principiis reflexis, dum non ultimum ex directis illatum judicium sæpe est inevidens et errori obnoxium.

2) Judicium erroneum solum remote fundare appetitum rectum fundando nimirum judicium reflexum evidens de honestate actionis, et ideo numquam esse rationem rectam.

3) Judicium directum inevidens, cum cadat sub imperio voluntatis, tunc futurum rationem rectam, si conforme sit appetitui recto seu imperio honesto voluntatis, imperium autem honestum voluntatis regulari tandem a judicio certo in quo sistendum denique est ne in infinitum tendamus : habemus igitur hunc ordinem : judicium evidens et proin conforme suo objecto adeoque ratio recta quo judicatur : tale judicium est prudenter elicibile ; voluntas sequens illud judicium imperat honeste et proin est appetitus rectus, inde judicium imperatum conforme appetitui recto est prudens adeoque sufficit ad fundandam honestatem electionis quam regulat estque ratio moraliter recta etsi logice aberrare contingat a vero, non videlicet ex conformitate cum objecto præcise sed ex conformitate cum causa tum proxima tum remota : proxima quæ est appetitus rectus qui directe illud causat et inducit in animum, remota quæ est ratio evidens, recta ex conformitate cum objecto, faciens appetitum rectum. Unde nullus est circulus.

106. Corollarium magni momenti. Omne judicium prudens (quale est certo probabile, ut infra dicetur) quod post diligens examen elicitur est ratio moraliter recta, ac proinde sufficiens ad fundandam conscientiam seu rationem rectam, regulam moralitatis.

III.

Quædam proprietates dictaminis conscientiæ.

107. Ex universim dictis, nullo jam labore quædam proprietates conscientiæ intelliguntur; sufficit enuntiare :

1) Qui contra dictamen conscientiæ agit semper peccat. Etiamsi enim erroneum sit ultimum judicium directum semper tamen reflexe exurgit dictamen practicum cui respondet vera obligatio ex lege naturæ obligante per accidens seu ex hypothesi erroris in mente agentis.

2) Nullum peccatum est sequi dictamen conscientiæ directum invincibiliter erroneum.

3) Si vero idem judicium directum sit vincibiliter erroneum peccat agens sive illud sequatur sive ei contraveniat. Hoc enim ultimum patet ex 1). Illud vero evidens est : cum enim error sit vincibilis seu culpabilis, actus ex eo sequens erit peccaminosus in causa. Quod tamen ita intelligendum est ut si retractata voluntate perseveret jam invincibiliter error, aut etiam non retractata voluntate, jam nullatenus dum agit, attendat agens ad causam culpabilem, totum peccatum sit consummatum tunc quando causa ponebatur. Idem dicendum de potentia implendi præceptum libere impedita, sed jam non recuperabili.

EXPLICIT PARS PRIMA.

PARS SECUNDA.

SPECIALIS.

METHODUS SOLVENDI DUBII.

108. Quoties directe certitudinem non habemus liceitatis agendi, ipsius conscientiæ judicium certum prohibet agere, nisi alio modo, indirecte videlicet aut reflexe certitudinem liceitatis adipiscamur. Et hoc est quod dicimus : solvendum esse dubium in re morali, atque huic solutioni scientifice faciendæ viam sternendi causa, ipsa rei fundamenta breviter præstruximus, quantum in re de se ampla ac difficili breves esse licuit. Dubium itaque sensu generico vocabuli pro eo quod certitudini opponitur, seu pro incertitudine sumimus. Incertitudo porro ex parte objecti, objectiva dicitur ; ex parte subjecti, subjectiva : estque judicii suspensio seu dubitatio formalis, vel saltem si judicium fiat, non fit sine aliqua formidine errandi. Omnes igitur status objecti vel status mentis simili statui objecti respondentes, qui opponuntur certitudini in objecto vel certitudini in mente, nunc generali nomine dubii complectimur.

Quid hic per dubium solvendum intelligatur.

Ut autem methodum solvendi dubii distincte evolvamus duo sunt præstanda : primum est, ut diversas dubiorum species, eorum naturam, eaque dignoscendi modum indicemus ; alterum, ut pro singulis dubii speciebus, principia solutionis apta exponamus atque demonstremus.

SECTIO PRIOR.

EXPONUNTUR DIVERSÆ DUBIORUM SPECIES.

Caput Primum.

DE DISTINCTIONE DUBIORUM IN GENERE.

109. Primus actus intellectus est apprehensio, quam sequitur judicium. Postquam vero plures jam rerum notiones intellectus acquisivit, ex naturali imbecillitate non semper diversorum conceptuum convenientiam inter se aut disconvenientiam evidenter intelligit et certitudinem acquirit, sed aliquando eadem convenientia aut disconvenientia menti apparere videtur quin vere sit evidens, ita ut in mente sequatur tantum persuasio seu absentia dubii in qua, neglecta reflexione, intellectus sistit, quæque ideo nonnumquam quamvis immerito certitudo vocatur; sæpe tandem neque veram neque apparentem evidentiam habet intellectus, quo casu hæret dubius, aut saltem non sine aliqua erroris formidine judicat : estque casus dubii sensu generico vocabuli, ut nos hucusque sumpsimus, quod ut designans diversos status subjecti seu mentis in re dubia et inevidente, proprie incertitudo dici debet. Si itaque omnes status mentis relate ad verum cognoscendum, claritatis gratia, enumerare velimus, habebimus varios status et gradus : *ignorantiam* et *nescientiam*, ut dicunt, cui objective nihil respondet quum nihil aliud sit quam privatio aut simplex absentia cognitionis; *errorem* qui pro objecto habet falsum; in errore seu inadvertentia qua, ex neglecta reflexione, ut verum accipitur de cujus veritate non constat, fundatur *persuasio* seu absentia dubii in re inevidente, sive

Diversi status mentis relate ad cognoscendum rerum.

tandem hæc vera sit sive falsa; deinde *dubitationem* cui respondet dubium seu res dubia et inevidens de cujus veritate non constat, sive dubium sit negativum seu ex defectu rationum sufficientium ad prudentem assensum, sive positivum seu ex motivis gravibus quæ tamen non sufficiant ad veritatem demonstrandam; *suspicionem*, cui respondet idem dubium negativum cum connotatione motivi levis inclinantis in alteram partem ut veram; *opinionem*, cujus objectum est dubium positivum seu probabilitas, motivo probabiliori aut unice probabili inclinante intellectum in veritatem unius partis, qui tandem in alterutram partem probabilem interveniente voluntate præbeat opinativum assensum ut in veram. In supremo gradu opinionis est *certitudo moralis late dicta*, cujus objectum ita apparet verum et, quamvis non sit plane evidens sive intrinsece sive extrinsece, tantis tamen fulcitur rationibus ut nonnisi leve aut levissimum supersit dubitandi motivum; tandem habemus *certitudinem* quæ supponit veritatem evidentem; assensus autem certus iterum tripliciter potest se habere: potest enim esse *fidei*, *scientiæ*, et *visionis*, prout objectum ejus est extrinsece seu authentice evidens, aut intrinsece sed mediate, aut tandem in se et immediate.

110. Ex dictis apparet, quamvis essentialiter res dicatur dubia respectu alicujus subjecti seu intellectus finiti, (in se enim et mere objective sicut respectu intellectus infiniti res numquam est dubia sed est vel non), tamen non esse confundendum diversos gradus dubii seu potius incertitudinis in mente cum diversis gradibus dubii quibus objectum dubium apparet, cum uni statui objecti diversi actus seu status mentis respondere possint, ut cum interveniente voluntatis imperio quis aut suspendit assensum aut ulterius opinionem efformat. Præterea, omnis mentis *assensus* etiam opinativus seu cum aliqua formidine ne non sit verum cui assentimur, semper est absolutus et affirmativus seu in objectum *ut verum*, non ut probabile, sive illud objectum sit rei veritas sive rei probabilitas, sive alius quivis modus sese habendi objective. Ita quando assentior ob motivum probabile, assensu meo teneo rem ita se habere seu esse veram, adeoque

Non confundendus status mentis cum apparentia suo modo objectiva rei.

oppositum esse falsum, quamvis assensus meus sit probabilis seu opinativus tantum; si opinor rem esse probabilem tantum, assensu meo opinativo teneo verum esse : rem esse probabilem, adeoque falsum esse : non esse probabilem, et non tantummodo probabile esse : rem esse probabilem. Aliud igitur est judicare aliquam propositionem esse probabilem, qui assensus etiam certus esse potest; aliud aliquam ex propositionibus probabilibus, ob motivum probabile seu ob suam præcise apparentiam probabilem veritatis, judicare esse veram, qui assensus est probabilis seu opinativus tantum. Distinguendi itaque sunt gradus *assensus* certi aut opinativi in objecti veritatem, a diversis gradibus *apparentiæ veritatis* illius objecti, qui movent ad assensum sive certum sive opinativum in objecti veritatem. Hæc autem haud parvi momenti est animadvertisse, ut ex infra disputandis elucescet (1).

111. Pergamus jam dicere de dubio considerato, juxta modo dicta, tum in subjecto tum in objecto. Statim ac intellectus reflexione psychologica advertit se in incerto versari, in causam ejusdem incertitudinis ontologica reflexione revertitur : hæc autem causa esse potest aut simplex absentia apprehensionis alicujus notæ vel aliquarum notarum ita ut nec convenientiam nec disconvenientiam ullo modo videre possit, aut apprehensio alicujus notæ vel plurium notarum in uno objecto quæ alteri conveniant non evidenter sed plus minusve obscure. Examine per reflexionem instituto, si ad certitudinem non deveniat, concludit, ex motivis illis directis rem ipsam esse dubiam diverso modo et gradu, et vel judicium suspendit vel uni alterive parti plus minusve adhæret : quomodo in hisce locus sit imperio voluntatis infra dicetur.

Divisio dubii. 112. Inde jam multipliciter dubium distinguendum esse patet.

Et 1° quidem ratione successionis temporis et modi quo in mente apparet distinguendum est dubium primum illud

(1) Vide præsertim hujus sect. cap. II, § V.

directum et mere subjectivum a *reflexo et aliquo sensu etiam objectivo :* licet enim, ut diximus, dubium non dicatur nisi relate ad aliquod subjectum i. e. intellectum finitum, tamen quando post examen et reflexionem in motiva mihi remanet res dubia, aliquo sensu mihi objective dubia dici potest, quatenus iis præstitis per examen quæ ex parte subjecti requiruntur ad detegendam veritatem, remanet tamen obscuritas quæ vinci nequit; hæc autem obscuritas quamvis ex defectu physico ingenii et scientiæ oriatur, moraliter tamen loquendo potius objecto attribui debet quam subjecto, quod supponimus sufficienter rem examinasse.

1° In directum ac mere subjectivum, et reflexum suo modo objectivum.

Illud porro dubium objectivum duplici modo seu gradu se habere potest, prout consistit etiam post examen omnium quæ a peritis communiter, considerari solent : ut in re scientifica sese habent quæ in statu præsenti scientiæ ad certitudinem non potuerunt deduci : et hoc dubium dici potest *quoad se* et *publicum;* vel minori gradu prout non consisteret quidem si in examen adhiberentur omnia quæ in præsenti statu cognitionis humanæ absolute possibile est adhiberi ; aut si de facto agitur illud quibusdam forte certo innotescit, attamen subsistit dubium quoad nos post examen eorum quæ in præsentibus adjunctis a nobis examinari potuerunt et debuerunt. Illud vocabimus : *quoad nos* non tamen dicemus privatum, ne cum mere subjectivo confundatur quod debitæ diligentiæ in reflexione et examine non resistit adeoque nullo modo objectivum dici potest; imo potius hoc dubium objectivum quoad nos, ad publicum dubium reduci aliquo modo potest : quatenus quivis homo in iisdem ac nos adjunctis positus eodem modo dubitaret. Potest etiam dubium esse *simul quoad se et quoad nos* in quantum videlicet dubium quoad se nobis innotescit : quo casu certi sumus rem esse in se dubiam. In casu vero dubii quoad nos, vel est persuasio tantum rem esse in se dubiam, si ex inadvertentia fit ut non ulterius res examinari possit et debeat; vel etiam dubitatio aut formido saltem aliqua an sit res quoad se dubia, si examen ulterius quod faciendum fore apparet hic et nunc ex alia ratione fieri non possit.

Dubium objectivum potest esse quoad se et publicum vel quoad nos tantum.

2° In dubium rationabile et dubium imprudens.

113. 2° Ex parte motivi et status mentis quem fundat distinguere possumus dubium *rationabile seu prudens* et *irrationabile seu imprudens*. Imprudens vocamus quando de re sufficienter constat et dubitatur tamen ob motiva inania, ut in scrupulis contingit. Hoc autem dubium jam omnino negligimus cum sit mere subjectivum. Dubium vel dubitativus assensus ultra motiva excurrens, si cum mala voluntate jungantur, *temeraria* dicuntur. Si vero sit ratio dubitandi, tunc vel *a)* tota ratio dubii est in ipsa absentia motivorum sufficientium ad prudentem assensum et dicitur *dubium negativum*. Si autem intellectus ob motivum leve inchoatum assensum præbeat seu magis in unam partem ut veram propendeat, dicitur ille inchoativus assensus : *suspicio*. Quod vocabulum sæpius accipitur de suspicione sinistra; quod si in bonum sensum significare velis dices *existimationem*. Vel *b)* dubitatur ob motivum grave. Et tunc dicitur *dubium positivum* seu probabile. Assensus autem in objectum ut verum ob motivum probabile, id est, grave licet fallibile, dicitur *opinio*. His autem notionibus sicut et quæstioni quænam sint in hisce partes voluntatis, hoc loco ulterius non insistimus, cum integra tractatio de probabilitate ob rei momentum speciali capite sit exponenda, et infra in demonstrandis principiis solvendi dubii utilius et ad captum accommodatius multæ notiones suum complementum sint reperturæ.

Dubium rationabile est vel negativum vel positivum.

3° In dubium speculativum et dubium practicum.

114. 3° Ex parte objecti in quod cadit dubium, quod ad rem moralem spectat de qua sola nunc agimus, habemus distinctionem in dubium *practicum* quod proxime versatur circa actionis hic et nunc ponendæ moralitatem formalem seu in ordine ad subjectum hic et nunc acturum ; et dubium *speculativum* quod vel proxime versatur circa jus seu ordinem actionis ad legem morum i. e. circa moralitatem objectivam actionis generaliter et in abstracto consideratæ, vel etiam in particulari ut est hæc determinata actio, non tamen in ordine ad agendum hic et nunc seu ad subjectum hic et nunc eam positurum, et vocatur dubium *speculativum juris ;* vel proxime versatur circa factum quod aliquo modo fundat jus, puta obligationem et ita remote tantum circa

Dubium speculativum juris et dubium facti.

jus ipsum et vocatur *dubium facti*. Unde videmus dubium facti numquam esse practicum, dubium practicum esse semper dubium juris, licet non omne dubium juris sit practicum. Apud auctores sæpe hæc tria : dubium practicum, proximum, juris; et dubium speculativum, remotum, facti idem designant. Dubium porro juris potest esse circa jus naturæ, hujus nempe extensionem seu potius applicationem; vel circa jus positivum, legis positivæ existentiam vel extensionem, aut ejusdem abrogationem, derogationem eidem factam, illius cessationem, aut ejus applicationem. Dubium facti item varium esse potest, an factum sive conditio existat consequenter ad quæ oriatur obligatio, an factum positum fuerit consequenter ad quod legis obligatio cesset, v. gr. an dispensatum fuerit, an lex fuerit impleta.

115. Notanda subjicimus tria : 1° in superioribus distinctionibus respeximus tantum ad dubia circa moralitatem actionis, sive proxime sive remote; potest autem dubium oriri etiam circa valorem actus, aut aptitudinem ejus ad determinatum finem. Hoc dubium etsi absolute potius juris quam facti denominari debeat, tamen in ordine ad considerationem nostram quæ directe de actionis moralitate est, potius ad dubium remote speculativum quod dubium facti vocavimus revocatur : actum enim his conditionibus esse validum, aut aptum ad finem, independenter ab omni consideratione intellectus et bona voluntate, assumi potest ut factum quod fundet moralitatem actus consequentis, hoc modo : si supponas obligationem ponendi actum valide, et finem consequendi, ea conditione tantum potest esse operatio honesta quod sequaris in dubio tutiora circa valorem actus, et aptitudinem ad finem.

Dubium circa valorem actus aut aptitudinem ad finem.

2° Magni momenti est attendere objectum dubii non semper esse simplex sed aliquando complexum concurrentibus, ut videtur, pluribus legibus : quod præsertim in materia justitiæ et aliis quibusdam ante oculos est habendum. Ita dubium esse potest utrum actio quædam sit prohibita, sed insuper etiam utrum inducat obligationem restituendi; vel utrum sit injusta, sed insuper posito quod non lædat jus, num sit contraria alii virtuti.

Objectum dubium potest esse complexum.

Apud diversos diversus est modus loquendi.

3° Quod modum loquendi attinet, ut ex præcedentibus jam patet, et in sequentibus sæpius forte experiemur, in memoriam revocamus observationem valde opportunam imo et necessariam ne in legendis auctoribus aut in disputatione quavis habenda male interpretemur et aerem verberemus, quæ a magistris sæpius et merito quidem inculcatur : iisdem rebus a diversis diversa vocabula sæpe imponi adeoque in ejusdem termini definitione apud diversos reperiri contradictionem, quin de re ipsa ulla sit dissensio.

Hæc de distinctione dubiorum in genere sufficiant, transeamus jam ad tractationem de probabilitate in specie quæ ut maximi momenti ita haud exiguæ est difficultatis, ut legenti auctorum elucubrationes oppido patet.

Caput Secundum.

DE PROBABILITATE.

§ 1. *De essentia seu natura probabilitatis.*

Qualis definitio requiratur.

116. Definitio probabilitatis undequaque apta non tantum requirit ut cum definito convertatur imo sit definito notior quocumque modo, sed præcise in ordine ad discernendum quam facillime fieri potest inter probabile et non probabile in re nostra.

Indicatur modus procedendi.

117. Ut tota res dilucide exponatur, breviter primum indicamus tractationis processum : suppositis distinctionibus supra traditis de dubio generatim, animadvertendum est nos non agere de probabilitate mere subjectiva, imo quum, notione probabilitatis *quoad se* constituta, notio probabilitatis *quoad nos tantum* nullo labore deducatur, de probabilitate quoad nos agendo intelligimus quæ simul sit quoad se, cujus statim generalem subjicimus notionem, adeoque a posteriori seu ab effectu immediato, primario eoque notissimo, probabilitatem generatim definimus, ut

deinde per partes et distincte ab effectu ad constitutivum ascendamus, et tandem ex omnibus disputatis notionem probabilitatis constituamus qualem initio postulavimus. Probabilitas itaque dici potest talis apparentia veritatis cui, supposita inevidentia, assensum præbens prudenter agit; quia vero dupliciter potest probabilitas innotescere : per auctoritatem alterius quæ vocatur probabilitas *ab extrinseco seu authentica*, vel per ipsam vim motivorum rei intrinsecorum quæ vocatur *intrinseca seu rationalis*, primum agemus de priore quia facilius innotescit ejus natura, ita tamen, ut diximus, ut ea primum quoad nos seu quoad effectum consideretur, deinde quoad se. Postea eadem ratione de intrinseca sermo fiet, quæ cæteroquin extrinsecæ præsupponitur adeoque a posteriori procedendo ab hac necessario ad illam deveniemus.

Probabilitatis notio generalis a posteriori.

118. Probabilitas igitur ab extrinseco quoad nos seu relate ad suum effectum immediatum in nos, definiri potest cum Terillo (1) : « apparentia adeo magna veritatis præcise fundata in fallibili auctoritate loquentis, ut illa digna sit assensu ...» Hæc definitio, licet bona sit et convertatur cum definito : — si enim apparentia veritatis, ubi ipsa veritas non potest attingi, vere sit digna assensu, tunc et hic assensus est prudens et objectum ejus merito dicitur *probabile;* si autem auctoritas non fundet apparentiam tantam hæc non potest vocari *probabilis;* — est tamen valde imperfecta, non solum quia est a posteriori et non per constitutivum, sed quia tam facile innotescit constitutivum quam effectus, imo hujus notitia illius notitiam præsupponit, ut ex definitione probabilitatis authenticæ quoad se, liquebit. Illam igitur definitionem accipe, ut completæ sint notiones et eumdem ordinem hic sequamur quem in notione probabilitatis rationalis utilius sequi debebimus.

Probabilitas ab extrinseco, quoad nos formaliter considerata.

119. Jam probabilitatem ab extrinseco quoad se, cum eodem auctore (2) ita describimus : « Omne illud est extrin-

Eadem probabilitas quoad se.

(1) Op. cit., Q. II, assert. 8.
(2) Ibidem, ass. 6.

sece probabile in quacumque materia, quod ab homine probo multumque perito in illa materia, post diligentem, ubi opus est, rei discussionem, omniumque aut potissimorum in utramque partem allatorum considerationem absolute creditur verum, aut æquivalenter vel formaliter asseritur esse certo probabile, idque per judicium non temere, sed sicut virum probum et peritum decet, elicitum ». Hæc definitio quoad rem ipsam non differt a celebri definitione Aristotelis : probabilia sunt, quæ videntur omnibus vel plerisque, vel sapientibus atque his vel omnibus, vel plerisque, vel maxime notis (1); ut brevis utriusque explicatio declarabit. Et hanc quidem philosophi definitionem quod attinet, nonnisi errore applicaretur aliis rebus quam inevidentibus et obscuris, ut ex subjecta materia patet et vel ex eo constat quod Aristoteles expresse agat de locis topicis et syllogismo obscuro. Præterea restringi debet ad auctoritatem fallibilem, quidquid enim etiam in se obscurum innotescit auctoritate infallibili divina, non probabile sed certum est. Tandem, quod philosophus sapientes nominet, non ita intelligendum est ac si de viris tantum doctrina præstantibus sermo sit, sed de quocumque homine illius rei perito quam testatur et asserit; quod autem sapientes numero plurali profert, id non importat quod ab uno asseritur numquam probabile esse posse : si enim ex. gr. ab honesto incola alicujus oppidi viam tibi in eo demonstrari petas, viam rectam ab illo indicari probabile est et prudenter agis eam sequendo. Unde, vel ideo sapientes in plurali posuit quia definitum probabilia in plurali protulerat, ne impropria esset locutio ut si quis diceret : homines sunt animal rationale, vel certe ideo quia maxime respiciebat ad probabilitatem in materia scientifica, in qua unius assertum non sufficit sed plurium consensus requiritur, et profecto numquam sapiens de re scientifica ut sapientem decet judicans solus erit, nisi in casu vix obvio quo ipse solus novam aliquam rationem tanti momenti inveniat quæ probabilitatem transponat;

Ejusdem definitio ab Aristotele data.

Explicatur.

(1) *Top.* l. 1, c. 1.

tunc autem eo ipso non solus manebit sed sapientes post se trahet.

120. In altera definitione, paulo enucleatius eadem ad probabilitatem authenticam requisita describuntur, sed nulla est essentialis a priori discrepantia, ut ex brevi explicatione clarius elucebit. *Explicatur definitio nostra.*

Dicebatur itaque : « quod ab homine probo multumque perito in illa materia ». Qualis requiratur peritia supra dictum est satis, et talis hic designatur. Virum autem probum intellige sincerum, veritatis cupidum, absque præjudiciis, ut res objective postulat judicare solitum. Non loquitur explicite de hac probitate Aristoteles sed eam merito in sapientibus supponit, cæterum ea numquam deest in pluribus, sicut ubi agitur de re scientifica quam præcipue ante oculos habuit ille.

Dicebatur ulterius : « post diligentem, *ubi opus est*, rei discussionem ». Sunt enim multa, præsertim ubi de facto agitur, quæ nullam aut mediocrem investigationem requirunt, imo in re scientifica aliquando modica inquisitio et consultatio potest sufficere, si v. gr. agatur de magistro rei moralis qui sæpe et fuse de istis rebus egit, talis promptissime certam probabilitatem rei acquirere poterit.

« Omnium aut potissimorum in utramque partem allatorum considerationem ». Si potissima et quæ majorem difficultatem habent omnia, examinantur, judicium evidenter tale erit quod plerumque verum dicat. Præterea minoris momenti rationes plerumque imo semper involvuntur implicite seu æquivalenter in illis quæ gravioris sunt ponderis. Cæterum si omnia quæ apud auctores omnes occurrunt in propriis terminis examini essent subjicienda ad hoc ut fundari possit probabilitas de qua loquimur, nulla auctoritas id præstaret, deinde ratio cujus examen supponitur negligi, vel non est tanta ut ab ea pendeat probabilitas, quo casu nihil refert si negligatur; vel tam gravis est ut possit probabilitatem transponere, quo casu fieri nequit ut a sapientibus et magnæ notæ auctoribus magno numero penitus ignoretur, adeoque negandum est suppositum.

Quoad præsens institutum, perinde est judicare aliquid esse certo probabile, ac opinari id esse verum, quia certa probabilitas fundat judicium prudens rem esse veram. Unde merito hæc æquiparantur in definitione. Non tamen idem est probabile judicium de rei probabilitate ac judicium prudens de ejusdem veritate, ut patet ex terminis, oportet igitur ad fundandam probabilitatem extrinsecam certam, ut saltem probabilitatem certam sui judicii affirmet ille cui credis. Utiliter hic notatur unum peritum ac probum, manendo intra limites rei incertæ, ab alio quidem dissentire posse circa rei veritatem, non vero circa rei probabilitatem certam, non magis quam circa rei cujuscumque certitudinem : si enim unus, præstitis quæ requisivimus, certus est rem esse probabilem, alius poterit quidem contrariam opinionem amplecti circa rei veritatem, non tamen poterit oppositæ opinionis probabilitatem negare.

Utraque definitio convenit et est bona.

121. Nunc facillimum erit ferre judicium de utraque in idem recidente definitione : evidens enim est qui propter talem ut descripsimus auctoritatem veritati rei assertæ assentitur, prudenter et irreprehensibiliter judicare, ut unusquisque ipse sibi conscius est : e contra, si quid ex requisitis in definitione detrahamus, non sine aliqua temeritate assentiri quemvis posse, adeoque datam definitionem esse omnino rectam.

Extrinseca probabilitas fundatur in intrinseca.

122. Hæc quidem ita se habent, sed si ulterius quæratur quare prædictus assensus viri probi et periti probabile reddat objectum quod affirmat esse verum, id non aliunde reperietur fieri quam quia motivo probabili nixus suam sententiam protulit, ergo antecedenter ad probabilitatem extrinsecam, tandem deveniendum est ad aliam priorem intrinsecam in qua illa tamquam in radice et causa præcontinente fundetur.

Definitur probabilitas intrinseca quoad nos.

123. Hæc itaque probabilitas intrinseca quoad nos erit : fallibilis apparentia veritatis, ab auctoritate loquentis independens, apta ad inducendum prudens et irreprehensibile judicium veritatis apud recte judicantem.

Post supra dicta hæc explicatione non indigent et veram rectamque definitionem constituere convincuntur : non potest autem quoad intentum præsentis tractatus melius describi probabilitas quam in ordine ad suum effectum per quem facile et certo innotescit. Oportet tamen, ut rationem rei scientifice reddamus, ipsam causam exponere quæ est probabilitas intrinseca quoad se. Qualis itaque est in se illa apparentia cui prudenter assensum præbeamus seu quænam est ratio cur conscii simus in casu nos prudenter et irreprehensibiliter assentiri? Respondeo : quemadmodum, ubi veritas inveniri potest, evidentiæ assentiri secundum normam est, ita, ubi diligentia requisita in re de qua agitur adhibita veritas non innotescit sed manet inevidens et obscura, prudenter agimus assentiendo ei quod evidenter appareret plerumque seu frequentius connexum cum vero, aliis verbis, quod nititur omnibus inspectis tali apparentiæ quæ plerumque contingit conjungi cum veritate; et ecce incidimus in aliam definitionem Aristotelis : probabile est quod plerumque contingit (1).

Inquiritur notio probabilitatis intrinsecæ quoad se, juxta aliquam definitionem Aristotelis.

124. Nemo miretur nos ab initio hanc definitionem quæ facilis et obvia videtur non attulisse : supra enim advertimus nos ideo ab effectu ad causam procedere quia facilius ille nobis innotescere visus est, neque definitio hæc philosophi ita facilis est ut nulla explicatione indigeat et statim appareat an et quomodo sit applicanda et valeat, præsertim ubi non de probabilitate facti, eventuum et indiciorum numero computata, agitur, sed de probabilitate quæ prudenti æstimatione et rationum discussione, moraliter ponderari debet.

Hæc definitio philosophi explicari postulat ut intelligatur et recte applicetur.

125. Primo itaque sermonem instituamus de probabilitate quæ ex aliqua eventuum et indiciorum multitudine unice depromitur adeoque numeris exhiberi potest.

Primo inquiritur de dicta probabilitate ut ex solo numero eventuum aut indiciorum deprominitur.

Quando ex pluribus quæ contingere possunt unumquodque quandoque contingit, quandoque non (si enim multiplicatis

(1) *Rhet. ad Theodect.*, l. 1, c. 2, ubi addit quo sensu hoc dictum sit accipiendum.

utcumque eventibus semper idem accidit non potest esse sermo de probabilitate sed talis eventus est vi inductionis certus), tunc duas habemus quantitates quarum altera numerus sit eventuum possibilium, altera numerus casuum in quibus eventus alteruter contigit vel contingere potest. Ponamus numerum totalem eventuum 10, casus obtingentes exhiberi poterunt hac serie :

$$\frac{9}{10}\ \frac{8}{10}\ \frac{7}{10}\ \frac{6}{10}\ \frac{5}{10}\ \frac{4}{10}\ \frac{3}{10}\ \frac{2}{10}\ \frac{1}{10}$$

Si in casibus decem obtingit eventus ubi tantum decem sunt possibiles, est eventus certitudo quæ proinde per $\frac{10}{10}$ seu unitatem merito exhibetur. Si vero in omni casu possibili numquam obtingit, est eventus impossibilitas quæ seriei supra positæ addi potest per $\frac{0}{10}$. Series autem a $\frac{9}{10}$ ad $\frac{6}{10}$ evidenter casus continet quæ plerumque contingent seu frequentius contingent quam non contingant adeoque casus continet absolute probabiles. E contra series $\frac{4}{10}$ ad $\frac{1}{10}$ casus exprimit absolute improbabiles. Tandem $\frac{5}{10}$ est æquiprobabilitas absoluta seu exprimit quod æque frequenter contingit ac non contingit, adeoque est probabilitas dubia possetque forte vocari dubium positivum stricte dictum, quatenus motivum adest quod absolute improbabile dici forte nequit, attamen nec sufficit ad hoc ut prudens detur assensus, adeoque status mentis respondens esset suspensio assensus ob dubium de sufficientia motivi.

126. Hæc adeo sunt perspicua ut explicatione non indigeant, cæterum, cum viam sternant ad naturam probabilitatis ab intrinseco scientifice exponendam, in tota retro tractatione complementum suum invenient; utile tamen erit statim ab initio alicui confusioni obviare a qua est valde cavendum, inter probabilitatem absolutam et relativam. Absolute probabile dicimus, ut supra, quod frequentius contingit quam non contingat inspecta tota serie eventuum possibilium. Relativa autem probabilitas est gradus majoris minorisve aut æqualis probabilitatis intra limites probabilitatis absolutæ. Ita æquiprobabilitas absoluta est quæ æqualiter distat a certitudine et impossibilitate : relativa vero

Obiter notatur distinctio maximi momenti inter probabilitatem absolutam et relativam.

est gradus æqualis probabilitatis duorum intra limites ejusdem probabilitatis absolutæ, puta duo ut $\frac{6}{10}$ probabilia sunt æque probabilia. Et hoc quidem contingere potest inter duo contradictoria : non quidem inter eventum et non eventum si ex solo numero seu multitudine eventuum probabilitas deducatur, sed in iis quæ ex pluribus motivis et considerationibus diversis et invicem non destruentibus eruuntur : quo casu in tantum quidem unum ex contradictoriis fit improbabile in quantum præcise motiva adversa alteri favent at vicissim in quantum sibi favent motiva probabilia ab illis prioribus independentia in tantum retinet suam probabilitatem et alteri nocet : non tamen unum alterius probabilitatem evertit nisi ipsa motiva utriusque partis ita sint ad invicem connexa ut se invicem destruant. His autem evolvendis infra erit locus.

127. Quæ de probabilitate facti ex numeris deprompta disseruimus, proprius et strictius eventibus physicis applicantur quam in re morali, ubi talibus conjecturis etiam in quæstione facti multo minor est firmitas, sed etiam ex alia parte latior patet in æstimatione libertas : deest præsertim stabilitas conjecturandi si de futuris hominum actibus liberis agatur, nisi tamen de multitudine hominum sermo sit et recursus pateat ad leges quæ mores humanos temperant.

Indicatur aliquod discrimen inter ordinem physicum et ordinem moralem.

128. Si vero jam non agatur de definienda probabilitate facti ex aliqua eventuum et indiciorum multitudine præcise deprompta sed ex ipsa natura rerum, sive eæ causæ sint sive effectus, et ex variis rationibus diversæ naturæ, res præsertim in re morali multo difficilior evadit; imo videri posset definitio Aristotelis applicari non posse : potest tamen si paulo aliter claritatis gratia enuntiata applicetur *motivis* probabilitatis, ita ut dicatur cum Terillo (1) motivum probabile : « rationabilis apparentia veritatis, de se quidem fallibilis, sed tanta tamen, ut omnes illi æquales in unum collectæ sæpius conjungantur cum veritate quam cum falsitate ». Merito additur « rationabilis » id est quæ

Secundo inquiritur de eadem probabilitate ex natura rerum et variis diversæ indolis rationibus deprompta.

Quomodo hic applicetur definitio Aristotelis.

(1) Op. cit., Q. II, ass. 4, n. 13.

antecedat judicium et affectum uni parti indebite affixum quæque proinde sit juxta meritum objecti, ut in memoriam revocetur nullatenus agi de apparentiis et probabilitate mere subjectivis : quod autem recta sit definitio, vel hoc solum declarat, quod nihil aliud sit quam expressio verbalis eorum quæ supra numeris exhibuimus : talis nempe apparentia simpliciter magna est quæ continet plus quam dimidium totius latitudinis sub qua omnis apparentia fallibilis continetur; nam quod constituitur in serie aliqua habente magnitudinem simpliciter est et dicitur magnum si sua mole medietatem totius excedat.

An æquiprobabilitas quam vocavimus absolutam sit absolute probabilis.

129. Posset hic quæstio institui an æquiprobabilitas quam vocavimus absolutam annumeranda sit probabilitati an vero non. Respondet Terillus (1) : « Dubium esse, utrum detur ulla apparentia, » (in re presenti videlicet, non enim agimus jam de probabilitate eventus ex solis numeris deprompta) « cui omnes æquales æque frequenter conjunguntur cum veritate ac cum falsitate... Sed esto : detur talis apparentia, adhuc dubium imo arbitrarium est utrum dici debeat quod hæc apparentia sit probabilis vel improbabilis. » Monemus hic iterum non esse confundendam probabilitatem alicujus rei cum aliquo motivo probabilitatis ejusdem. Verum enim est loquendo de motivo quod æqualiter tantum valet pro vero et pro falso, quod dici possit *maximum quod sic* in serie motivorum improbabilium, ut loquitur Terillus, adeoque non sit certo sed dubie probabile ; inde tamen ne concludas, quando duo sunt motiva æqualia seu duæ apparentiæ æquales pro aliqua sententia et pro ejus opposita, neutram harum esse probabilem. Sermonem enim habebamus de uno motivo quod æqualiter movet in utramque partem sed est dubie probabile, nequaquam de inclinatione orta ex uno motivo puta vere probabili, et alia in contrarium item orta ex motivo diverso iterum vere probabili independenter a priore, sed æqualibus et æqualiter moventibus ad assensum, ita ut ipsa sententia sit vere probabilis; contradictoria tamen sit æque probabilis eodemque gradu ac ipsa.

(1) L cit., n. 14.

130. Ut in re magni momenti nihil obscuri maneat, addimus unam alteramve solutionem difficultatis, quam sibi proponit idem citatus auctor (1) quamvis longior videri possit. *Notio probabilitatis ulterius illustratur.*

« Objicies... Motivum probabile in contradictione motivi probabilioris manet, et est probabile. At definitio allata non convenit motivo minus probabili in contradictione motivi probabilioris; quia tale motivum, aliquando saltem, sæpius conjungitur cum falsitate, quam cum veritate, ut patet : ergo definitio allata non comprehendit omne motivum probabile.

Respondeo : concedo majorem, quam veram esse infra clarissime demonstrabo. Sed nego minorem ; nam etsi motivum minus probabile in contradictione majoris probabilitatis aliquando saltem, sæpius connectatur cum falsitate, quam cum veritate, si solum comparetur cum motivo probabiliori, et cum objecto ab utroque asserto; tamen si conferatur cum tota latitudine motivorum fallibilium, dico quod ex vi suæ magnitudinis tanta sit, ut juxta rerum exigentiam sæpius connectatur cum veritate, quam cum falsitate (2). Jamvero ut motivum probabile definiatur, non debet definiri relate ad aliquid probabilius, vel minus probabile, sed simpliciter relate ad omnem apparentiam fallibilem, alioquin termini exponentes definitum nondum explicati ponerentur in definitione, quod est absurdum...

Instabis. Quod illa apparentia sit tanta, ut omnes illi æquales sæpius connectantur cum veritate, quam cum falsitate, nihil facit, ut hoc objectum probabiliter credatur, nisi relate ad illud frequentius connectatur cum veritate, quam cum falsitate.

Respondeo negando assumptum ; nam cum relate ad hoc objectum nobis constare non possit, utrum apparentia major reipsa connectatur cum veritate necne, spes veritatis attingendæ mensurari debet ab intrinseca magnitudine impetus,

(1) Op. cit., Q. II, nn. 15 et sqq.

(2) Hoc supra a nobis breviter jam fuit declaratum qui ulteriorem explicationem desiderat legat Terillum, ibid., n. 16.

qui causatur in intellectu, præscindendo ab hoc objecto determinato, per considerationem illius in ordine ad omnia objecta, quæ per parem apparentiam repræsentantur. Jam ergo cum apparentia minor, etiam ipsa tanta sit, ut frequentius connectatur cum veritate, quam cum falsitate; manifestum est quod in re dubia assensus probabilis, et prudens utrique parti, etiam minus probabili præstari possit. Neque enim certum est, quod assensus datus apparentiæ majori circa hoc objectum sit perventurus ad ipsam veritatem; sed solum est paulo credibilius opposito, cum oppositum sit adeo credibile, ut intellectus ex vi talis credibilitatis operans sæpius verum dicat, quam erret : et hæc est ratio a priori, cur utraque pars contradictionis possit esse probabilis. »

131. Liceat hic repetere quæ supra de vitanda confusione hac in re, monebamus : dici itaque nequit, inter opiniones absolute probabiles, ut prudenter agas, eligendam esse semper quæ est probabilior (id est relative ad aliam absolute probabilem) : secus semper eligenda esset probabilissima. Atvero si, loquendo de tota latitudine motivorum quæ aliquam apparentiam veri habent, dicas non posse eligi opinionem quæ non fulciatur motivo quod majorem habet apparentiam veri quam falsi, optime dicis. Item haud recte dicitur : non esse sequendam opinionem ex duabus unam quæ non sit æque aut fere æque probabilis ac opposita (fere æque : quia in re morali stricta illa æqualitas non est possibilis), si dictum intelligatur de duabus opinionibus certo contentis intra limites absolutæ probabilitatis. Si vero directe de motivis dicatur seu apparentiis quæ respectu totius latitudinis apparentiarum veri frequentius connecti debeant cum vero quam cum falso, ut possint opinionem fundare quæ sit saltem absolute probabilis, æque ac ejus opposita quæ supponatur talis esse, id recte dicitur.

Conclusio disputationis. 1° Definitio Aristotelis ut jacet applicatur probabilitati eventus alicujus facti contingentis.

132. Concludamus : 1° quando de facti contingentis eventu probabili agitur, sive de præterito an probabile sit id fuisse positum, sive de futuro an eventurum sit, omnino applicatur definitio : probabile est quod plerumque contingit, seu probabile est, si numerus eventuum qui contingit superet me-

dietatem numeri totalis eventuum qui contingere possunt. Si uterque numerus physice determinetur, utraque pars contradictionis non potest esse probabilis, cum si factum plerumque contingat v. gr. ut $\frac{6}{10}$, necessario non factum minus sæpe continget ut $\frac{4}{10}$. Etiam in re morali, quamvis id non tam stricte determinari possit, sæpe una e contradictoriis tantum erit probabilis ubi de factis agitur.

Quæ in re morali tamen minus stricte determinari potest.

133. 2° Cavendum est ne hoc ad omnem propositionem probabilem transferatur quasi non possint duæ contradictoriæ simul esse vere probabiles, sive sint æquiprobabiles sive una sit probabilior altera. Quando enim apparentiæ contradictoriæ quidem quoad effectum sed in se independentes ab invicem, sunt talis naturæ ut sæpius cum vero quam cum falso singulæ connectantur, eæ fundant singulæ probabilitatem duabus propositionibus contradictoriis. Difficultati igitur quæ in hunc modum proponatur : si propositio aliqua est probabilis ut $\frac{6}{10}$, ejus contradictoria non potest esse nisi ut $\frac{4}{10}$ adeoque improbabilis, respondendum est : vi præcise illius apparentiæ quæ priori propositioni probabilitatem ut $\frac{6}{11}$ affert : transeat vel concedo. Non potest ad probabilitatem $\frac{6}{10}$ aut etiam majorem attingere ex aliis apparentiis manente prioris probabilitate : nego. Si non de factis agatur, ordinarie, ubi veritas propositionis non innotescit, sed ea est probabilis tantum, et contradictoria erit probabilis.

2° Possunt propositiones contradictoriæ simul esse probabiles.

134. Notamus hic obiter dari probabilitatem essentialiter mixtam ex rationali et authentica : ita ut apparentia insufficiens ex ratione ad probabilitatem compleatur ex apparentia ab authoritate deducta item insufficiente per se, ita ut ambo simul in unam apparentiam probabilem excrescant.

Est aliqua probabilitas mixta ex rationali et authentica.

135. 3° Præsens itaque definitio non comprehendit omnem propositionem probabilem : hoc præterea exinde patet quod applicari nequeat probabilibus conclusionibus quæ sint de re quæ non sæpius sed semper aut numquam contingit. Sed evidenter sub ea cadunt propositiones universales aut indefinitæ de objecto quod plerumque at non semper contingit. Et sane hæ propositiones continentur in primaria classe

3° Eadem definitio non comprehendit omnem propositionem probabilem.

propositionum probabilium, quia explicantur in ordine ad prædicatum cadens sub experientiam per quod certificari possumus, quod tales propositiones sunt probabiles, qua ratione ad probabilitatem facti, de qua sub 1°, accedunt. Est etiam alia prærogativa hujusmodi probabilitatis quod sit independens a dispositione opinantis (1).

4° Sed applicatur omni motivo probabili.

4° Sensu legitimo, explicato, convenit definitio omni *motivo* probabili; non tamen de singulis motivis relate tantum ad eorum objecta, secundum se considerata, quia illa sæpe numero aut numquam aut semper contingunt, sed de magnitudine motivi intelligi debet relate ad totam latitudinem motivorum seu apparentiarum veri, et de stimulo quem causat relate ad intellectum ex vi tantæ apparentiæ promiscue operantem. Et hic genuinus est sensus Aristotelis.

Infertur definitio opinionis probabilis.

136. Corollaria. 1. Ex dictis infertur definitio *opinionis* probabilis. Est videlicet : assensus nixus motivo probabili, seu tantæ apparentiæ cui omnes æquales sæpius conjunguntur cum vero quam cum falso. Et si loco assensus ponas : orationem exprimentem judicium nixum motivo probabili, etc., habes definitionem propositionis probabilis, omnibus tam conclusionibus quam præmissis probabilibus communem.

2. Infertur, quid significent auctores quando dicunt motivum probabile esse motivum simpliciter magnum, alicujus momenti, grave. Porro motivum debet esse magnum non tantum absolute sed etiam comparative ad motiva faventia parti oppositæ, ita scilicet ut ab his non elidatur et fiat improbabile, aut etiam concludatur falsum.

137. Tota hæc dissertatio de illa definitione Aristotelis rationem quidem reddit et causam explicat illius effectus per quem probabilitatem initio definivimus : quod hæc scilicet sit tanta apparentia veritatis quæ digna sit assensu. Sed manifestum jam est cur ab effectu incepimus, quia nimirum definitio philosophi licet verissima et post datam explicationem satis aperta, parum tamen utilis esset per se sola et insufficiens ad præsens intentum. Nemo enim nisi difficulter

(1) Quod intelligas juxta dicenda § II, nn. 142 et 143.

scire potest quænam opinio præsertim in re morali sit probabilis necne, ea sola definitione inspecta : quia opus est longa ratiocinatione ut demonstretur determinatam opinionem tanta niti apparentia cui omnes æquales sæpius conjungantur cum veritate quam cum falsitate, dum e contra multo facilius innotescit effectus seu prudentia assensus.

Manet igitur ut servemus ab initio positam, datis explicationibus illustratam et vindicatam, definitionem generalem probabilitatis qua eadem dicitur : apparentia fallibilis veritatis adeo magna ut illa digna sit assensu, ita ut qui illi absolute assentitur ut prudens merito laudari, nullatenus tamquam temerarius et imprudens reprehendi possit.

Post omnia disputata manet definitio a posteriori initio posita.

138. Juxta eumdem considerandi modum definitur *probabilius* : quod, cæteris paribus, aptum est plures peritos et probos ad sui assensum allicere quam aliud, quod ideo dicitur *minus probabile*, quia, cæteris paribus aptum est pauciores ad assensum provocare. Inde habemus plerumque eam opinionem in re scientifica objective probabiliorem esse quæ communior est apud auctores et probabilissimam fore quæ vere communis esset : licet enim auctores sæpe dicant et judicent suam quam amplectuntur opinionem esse probabiliorem, tamen possunt etiam plures esse qui aut oppositam suæ appellent probabiliorem, aut expresse aliquam ut certo probabiliorem designent; si vero simpliciter aliquam amplectantur ut probabiliorem quin aliquid addant, tunc aliquando probabiliter tantum aut probabilius non semper certo judicant esse talem, præsertim si de apparentia consequente ad suum judicium loquuntur, quæ semper longe major est quam ea quæ antecedit omnem assensum uni parti alligatum, ut infra dicetur; adeoque non adest ideo major probabilitas illa extrinseca et reflexa neque signum est adesse directam probabilioritatem intrinsecam.

Definitur probabilius.

139. Quam autem diximus opinionem *communiorem* aut *communem* non debet intelligi sensu quasi materiali, ita ut numerum mathematice majorem aut maximum pro se habeat, sed simul attendenda est auctoritas scriptorum, quippe quos inter invenias qui pro pluribus aliis ipsi soli valeant :

Opinio communior et communis.

secus nemo posset aliquam opinionem communiorem dicere, cum vix possit quis mediam partem librorum consulere de aliqua materia vel quæstione; præterea merito supponuntur magistros primarios sequi plurimi. Cavendum tamen est ne nimis prompte aliqua doctrina communis vel communior dicatur, cum talis tantummodo inveniatur apud illos quos tu consulere, quamvis sat numerosos, potuisti.

Vindicatur nostra definitio.

140. Una remanet difficultas adversus definitionem nostram, cui dato responso, indicia quædam opinionis improbabilis in modum conclusionis hujus paragraphi annectimus. Objicit Vincentius Baronius (1) perperam definiri probabile quod prudentem assensum fundat. Hoc enim esse tenebras offundere, cum adversarii nostri, omnes scilicet qui negant usum opinionis probabilis faventis libertati contra legem esse licitum, hoc inficiantur. Præterea ponere talem definitionem, videri petere principium, quia illa admissa negari non potest quin usus cujusvis opinionis sit licitus, ut expresse fatetur (2).

Respondet Terillus : « Baronium ostendere suam ingenuitatem, dum candide fatetur usum opinionis probabilis convinci licitum, si vera sit nostra definitio. Verum illa est evidenter vera, nec a quoquam merito negari potest; neque hoc est petere principium, quia ponere definitiones certas et axiomata, ex quibus conclusio evidenter deducitur, non est petere principium; alioquin mathematici peterent principium, dum terminos definiunt, et statuunt axiomata, ex quibus evidenter inferunt suas demonstrationes.

Jam ex eo quod assensus partis minus tutæ sit certo prudens, recte quidem infertur usus illius esse licitus, verum ea illatio non est obvia, cum nonnisi ex discursu satis subtili inferri possit, ut infra patebit. Interim in definitione hic nihil dicitur de opere a tali assensu regulato, ejusve qualitate, sed ab his omnibus præscinditur, quia definitio æque convenit judicio probabili speculativo ac practico, cum

(1) Disp. 1, sect. 2, a. 2, paragr. 2, apud Terillum, op. cit., Q. II, n. 39.
(2) Ibidem, paragr. 3, apud eumdem.

tamen judicium speculativum operi dirigendo non deserviat. Qua ergo ratione dicamur petere principium in hac definitione, quæ ab omni circumstantia operis perfecte præscindit, nequit intelligi » (1).

141. Hæc definitio quæ convincitur esse optima, suggerit quædam indicia opinionis *improbabilis* quæ utile erit subjicere : 1° non potest esse probabilis opinio quæ rationi aut manifestæ experientiæ contradicit. *Indicia quædam opinionis improbabilis.*

2° Neque illa quæ S. Scripturæ, Patrum traditioni, aut Ecclesiæ doctrinæ i. e. Pontificum et conciliorum definitionibus, aut doctrinæ theologicæ certæ contrariatur.

3° Neque illa quæ solido fundamento destituitur i. e. tanti ponderis motivo licet inevidente non nititur ut hominis docti, examine diligente secundum rei exigentiam facto et absque inordinato motu judicantis intellectui satisfaciat quamvis eum non convincat.

Ecce longa disputatione veram naturam probabilitatis conati sumus demonstrare, ut autem adæquate res absolvatur, reliquum est ut apparentiam probabilem in ordine ad suam causam et originem speciatim consideremus, quod hoc præterea commodum afferet ut tota quasi de probabilitate doctrina uno conspectu generali oculis subjicienda breviter resumatur.

§ II. *De causa et origine apparentiæ probabilis.*

142. Vera apparentia probabilis, ut ex modo declarata ejus natura imo ex ipsis terminis elucet, non est quid mere subjectivum, siquidem potest esse aliquid vere probabile quin determinato subjecto hic et nunc ut tale appareat, et potest ab aliquo ut tale apprehendi quod reipsa probabile non est; neque tamen mere objectiva est probabilitas, cum objectum quodvis ex parte sua sit vel non sit. Essentialiter igitur respicit aliquod subjectum, non hunc vel illum intellectum varie dispositum, sed omnem intellectum quem po- *Explicatur duplex causa objectiva et subjectiva veræ apparentiæ probabilis.*

(1) Op. cit., Q. II, n. 39.

test veritas latere adeoque finitum recte judicantem de utraque parte, vel etiam assentientem alicui parti, quando ponitur in determinatis adjunctis ubi veritas nulla evidentiæ specie innotescit. Est tamen suo modo objectiva quatenus non pendet ab apprehensione et æstimatione uniuscujusque sed posito tali subjecto ut diximus, in determinatis adjunctis, aut etiam semper si de re agatur in qua obscuritas universaliter contingit, ex se petit tale judicium.

Dixi : in determinatis adjunctis, vel etiam semper etc. Si enim obscuritas veritatis quam supponit probabilitas oriatur ex causa constante et universali quoad omnes, ex nescientia seu ignorantia communi et publica, sive absolute ex defectu et limitatione naturali intellectus finiti aut saltem humani, sive relative ad tempus præsens et statum præsentem cognitionis humanæ, tunc probabilitas sensu sæpe explicato objectiva, vere publica est, et constans atque immutabilis sive absolute sive in præsenti saltem respectu omnium; mutabilis vero erit si oriatur ex determinatis adjunctis in quibus sese habet opinans, talibus tamen in quibus quivis sapiens si versaretur eodem modo judicare deberet, quo casu ut patet, ut mutetur probabilitas aut etiam cesset, sufficit mutatio adjunctorum respectu opinantis, sicut in casu immutabilitatis relativæ requiritur mutatio adjunctorum respectu omnium. Non loquimur de probabilitate mere subjectiva, ubi ex inadvertentia aut neglecto examine aliquid probabile putatur, et consequenter nulla haberi potest reflexe certitudo probabilitatis.

143. Duplex igitur causa distingui potest apparentiæ probabilis, alia objectiva quæ est illa frequentior connexio cum vero quam cum falso, de qua late diximus, alia subjectiva quæ est intellectus limitatus in determinatis adjunctis recte judicans de illa connexione.

Merito dicimus hanc esse duplicem apparentiæ probabilis causam : utrumque enim est principium constituens apparentiam illam, ad quam alterutrum non sufficit : objectivum enim elementum potius se habet in modum causæ materialis, cui accedens subjectivum formaliter constituat veram appa-

rentiam probabilem, sive simul quoad se et quoad nos, sive quoad nos tantum at suo modo objectivam, ut de dubio agentes indicavimus. Si autem hoc ultimo modo apparentia probabilis consideretur, tunc etiam ea ipsa, independenter a dispositione opinantis, aut saltem rem ut probabilem apprehendentis in determinatis adjunctis, sese habet hic et nunc ad modum causæ objectivæ, ipsa autem subjecti judicantis in talibus circumstantiis dispositio per modum causæ subjectivæ, puta celerius etiam ac vividius probabilitatem percipientis, non tamen ultra quam est in hisce adjunctis, secus ad mere subjectivam deduceretur. Hæc porro opinantis dispositio potest non tantum percipere sed etiam quodammodo indirecte fundare apparentiam probabilem : quo casu ad causam objectivam in tantum reducitur. Ita qui constanter expertus est aliquem virum probum et gravem etiam in rebus difficillimis non errare neque decipere, talis erit ita dispositus ut ob auctoritatem talis viri probabile reputet imo probabilissimum quod generatim ab omnibus non tantopere probabile reputaretur, sed ex illa præcise animi dispositione omnino fundata, jam objective crescit apparentia probabilis. De mere subjectiva apparentia non agimus : si autem error circa veram probabilitatem suo modo objectivam sit inculpabilis, idem dicendum est ac de ignorantia et errore invincibili circa veritatem.

§ III. *De divisione probabilitatis.*

144. 1° Prima divisio est in propositionem *probabilem immediate* quæ ex ipsis terminis apparet vera, non certo et evidenter, sed solum obscure et credibiliter; et probabilem *mediate* quæ infertur vel ex aliquo immediate probabili, vel ex propositionibus evidentibus sed per illationem tantum probabilem.

1. Divisio in propositionem probabilem immediate, et probabilem mediate.

Difficultas esse potest an sit aliqua propositio immediate probabilis ; adjicimus rei demonstrationem ex card. de Lugo (1) : « intellectus... lumine naturæ assentitur pluribus

(1) *De fide*, disp. I, sect. VII, nn. 119 et 120.

principiis ex apprehensione terminorum ; non quidem evidenter sed solum probabiliter, ut probavi in lib. *Posteriorum*. Alioquin nullæ essent conclusiones probabiles, nisi darentur prima principia probabilia, ex quibus inferrentur. Dices conclusionem probabilem posse inferri ex principiis evidentibus, esse tamen probabilem, quia ipsa consequentia, seu bonitas illationis non constat evidenter. Sed contra, ergo jam saltem concedis posse præcedere assensum solum probabilem circa ipsam bonitatem illationis. De hoc ergo assensu prævio inquiro, an sit mediatus vel immediatus? Si immediatus, ergo jam concedis aliquem assensum immediatum probabilem, qui fiat immediate ex apprehensione terminorum, quod contendimus. Si vero ille assensus sit mediatus redit idem argumentum, an sit probabilis, quia infertur ex principiis probabilibus, an quia infertur per illationem, quæ solum cognoscatur probabiliter, et rursus de hac secunda cognitione inquiram, an sit probabilis immediata, et sic in infinitum donec veniamus ad aliquam primam propositionem immediatam, cui intellectus probabiliter assentiatur.

Ratione etiam a priori probatur, quia assensus immediatus est, qui generatur ex apprehensione connexionis inter extrema illius propositionis sine alio medio : potest autem contingere, quod apprehensio non ostendat clare illam connexionem, sed cum formidine et per consequens sufficiat ad generandum assensum cum formidine, licet immediatum. Imo Aristoteles definiens opinionem non egit de mediata sed de immediata, quæ est imprimis fons et radix totius probabilitatis. Sicut enim dixit in *Poster.* cap. XXVI : « opinionem esse acceptionem immediatæ propositionis non necessariæ » (1). Et idem docet primo *Rhetor. ad Theodecten* cap. II et *ad Alexandrum* cap. VII et XV, nemo ergo negare potest, dari aliqua prima principia, quæ ex terminis cognoscuntur non evidenter, sed opinabiliter, vel obscure, ut notavit etiam Jacobus Granado in I, II, in materia *de actibus humanis* tr. XII, disp. IV, nn. 1 et 2 ».

(1) Lege 1. *Post* c. 26 alias 33 et cfr. S. Thom. in 1. *Post.* lect. ult. — Paulo infra, *ad Alex.* lege c. 8 et 15. Granado non potui videre.

145. 2° Secunda divisio minoris momenti in *assensum probabilem physice talem* qui reipsa propter veram apparentiam probabilem elicitur sive temere sive ex debita diligentia, et *moraliter talem* qui post diligentiam in re simili requisitam elicitur, traditur a Terillo (1) ex Granado (2), approbante Oviedo (3) qui optime advertit assensum moraliter probabilem esse etiam physice talem, non e contra. Nos agimus potissimum de moraliter probabili : de physice probabili loquendum est in ordine ad regulandam conscientiam ut de errore vincibili si temeritas advertatur, secus ut de inadvertentia.

2. Divisio : in assensum probabilem physice talem, et moraliter talem.

146. 3° Tertia divisio est in *probabile quoad se*, et probabile *quoad nos*. « Quamvis probe sciam », ait Terillus (4), « omnem probabilitatem esse denominationem relativam ad intellectum, cui objectum probabiliter apparet, quia objectum in seipso non est probabile sed certum et verum ; nihilominus claritatis causa juvat hanc ipsam denominationem relativam ad intellectum nostrum partiri in probabilitatem, quam voco probabilitatem quoad se, et probabilitatem quoad nos. Illam voco probabilitatem quoad se, quæ omnibus spectatis quæ circa rem illam communiter considerantur a peritis, nititur fundamento vere probabili et alicui intellectui humano apparet talis, sive hoc motivum nobis innotescat sive non innotescat sufficienter. Similiter illam opinionem voco probabilem quoad nos, cujus probabilitas nobis sufficienter innotescat. Tunc autem nobis innotescit sufficienter quando ad minimum probabiliter cognoscitur adesse : dixi *ad minimum*, sæpe enim probabilitas opinionis certo innotescit, et tunc quoad nos est indubitanter probabilis, aliquando probabiliter tantum apparet, et tunc prudenter creditur esse probabilis ; ideoque dicitur sufficienter apparere, quia fundat judicium prudens de opinionis illius probabilitate ». (Inde habes novam divisionem probabilitatis quoad

3. Divisio : in probabile quoad se, et probabile quoad nos.

(1) Op. cit., Q. IV, n. 12.
(2) Contr. 2, *de act. hum.*, disp. 4, s. 1, n. 3, apud Terillum l. cit.
(3) l. 2, tract. 5, contr. 3, punct. 1, n. 2, apud eumdem.
(4) Op. cit., Q. IV, nn. 13, sqq.

nos in *certo probabile* et *probabiliter probabile quoad nos*) « Aliquando vero tantum adest umbra quædam probabilitatis alicui opinioni faventis; et tunc opinio illa non dicitur probabilis quoad nos, quia etsi probabilitas ejus aliquo modo appareat non tamen apparet sufficienter, quia non est fundamentum prudens existimandi, opinionem illam esse probabilem ».

Ne confundas duplicem acceptionem possibilem hujus distinctionis.

147. Ut omnis confusio vitetur, observemus præsentem distinctionem dupliciter posse accipi : 1° ita ut probabilitas quoad se et probabilitas quoad nos sit eadem sub duplici respectu formali, præcise ut est suo modo objectiva, vel præcise in ordine ad intellectum nostrum cui innotescat. 2° Ita ut hæc duo opponantur et intelligatur probabilitas quoad se quæ, omnibus spectatis quæ a peritis communiter circa hanc rem considerantur, nititur fundamento vere probabili, sive sit simul quoad nos seu nobis innotescat, sive non; quoad nos vero : quæ determinatis tantum motivis spectatis, nobis vel perito cuivis post diligentiam hic et nunc requisitam manifestatis, innotescit et cuivis perito in eisdem adjunctis innotesceret. Quæ tamen probabilitas quoad nos tantum, ut patet, modo sæpius explicato objectiva esset; de mere subjectiva enim non loquimur cui numquam assensus præberi potest prudens, sed qui confuse saltem cognoscitur imprudens aut ex mero errore putatur prudens. Inde nos optime quidem, ab initio, agentes de dubio in genere, triplex distinctionis membrum posuimus : *quoad se*, *quoad nos quod simul sit quoad se*, et *quoad nos tantum*.

4. Divisio : in opinionem proxime practicam, et formaliter speculativam.

148. 4° Quarta divisio quæ maximi est momenti fit in *opinionem proxime practicam*, et *formaliter speculativam*. « Illam voco proxime practicam, quæ omnibus consideratis judicat de honestate actionis hic et nunc a judicante exercendæ. Omnem aliam voco formaliter speculativam, sive illa sit judicium de materia vel de qualitate materiæ circa quam operatio humana versatur, sive sit judicium de ipsa actione externa, aut etiam de interna electione tam secundum se quam relate ad aliquam circumstantiam, modo nil

enuntiet de ejus honestate aut inhonestate, ut hic et nunc a judicante exercendæ ». Ita Terillus (1).

§ IV. *Regulæ ad dignoscendam probabilitatem ejusque gradus.*

I.

Regulæ ad dignoscendam ipsam probabilitatem.

149. 1° Ponimus primo regulas probabilitati immediatæ et mediatæ communes. *1° Regulæ communes probabilitati immediatæ et mediatæ.*

A. Ut consideratur probabilitas quoad se : *A. Ut consideratur quoad se.*

Regula unica. Quidquid in re inevidente, post omnium aut potissimorum in utramque partem sapientem considerationem, secluso inordinato animo judicari potest verum, aut certo nixum motivo magis seu frequentius connexo cum vero quam cum falso, est certo probabile. *Regula unica.*

150. *B*. Ut consideratur eadem probabilitas formaliter quoad nos. *B. Ut consideratur formaliter quoad nos.*

Regula 1ª. Viro sapienti, qui conscius est se egisse ut in regula superiori dictum est, et eo modo judicat, certa est rei probabilitas. *Regula 1.*

Regula 2ª. Imo quoad eumdem iisdem statutis idem dicendum est, si tantum existimet esse probabile, hac tamen conditione ut probabilitas etiamsi exigua et directe consideranti dubia, cadat sub experientiam exprimentem propriam ejus naturam et differentiam a motivo improbabili ut contingit v. gr. quando sapiens ille existimare pergit rem esse probabilem quamvis adhæreat opposito quod absolute judicat verum. *Regula 2.*

Explico. Supponimus itaque præstitis quæ requiruntur, sapientem non pervenire ad directam certitudinem probabilitatis, sed tantum ad opinionem quod sit probabile aut, quod æquivalet, ad certitudinem quod sit probabiliter probabile. *Explicatur.*

(1) L. c., n. 19.

Supponimus insuper conscientiam quod recte credat, licet non sit certus directe, rem esse probabilem.

Hoc posito poterit adesse conditio quam requisivimus, facta enim reflexione in suam prudentem existimationem directam poterit hæc transire in probabilitatis certitudinem, quæ ideo probabilitas, reflexa dici potest; hoc autem contingere potest sequenti modo quem explicat Terillus (1) : « Apparentia veritatis, quæ consequitur judicium uni parti alligatum, multum crescit supra apparentiam veritatis eidem parti faventem, quæ judicium illud antecedit,... quantum autem hæc apparentia consequens crescit, tantum decrescit apparentia antecedens pro veritate partis oppositæ. Quævis enim contradictionis pars tanto minus apparet verisimilis, quanto pars opposita verisimilior apparet. Ergo si, non obstante hac diminutione in apparentia veritatis, illa adhuc remaneat tanta, ut a viro perito, cujus mens alteri parti absolute alligatur, credatur probabilis, idque cum conscientia, quod judicium suum absque passione tulerit, illa apparentia non potest reipsa non esse tanta (quia multo major est quam appareat) quanta sufficit ad veram probabilitatem. Ergo certum est sic judicantem non errare in secundo illo judicio de probabilitate sententiæ quam falsam reputat ».

Probabilitas directa et reflexa atque directa et indirecta.

Posset itaque, ut obiter notemus, divisionibus superiori paragrapho traditis nova addi in probabilitatem *directam* et *reflexam* (2).

2° Regulæ speciales probabilitati mediatæ.

151. 2° Regulæ speciales quoad probabilitatem mediatam.

A. Quoad se.

A. Ut consideratur quoad se.

Regula 1.

Regula 1ª. Quod ex præmissis certis et evidentibus probabiliter infertur est certo probabile.

Regula 2.

Regula 2ª. Quod ex una præmissa certa et alia probabili rite infertur est certo probabile.

(1) Op. cit., Q. VI, n. 5.

(2) *Directæ* probabilitati aliquando opponitur etiam *indirecta*, quæ non oritur ut directa ex consideratione ipsius naturæ objecti, neque ex reflexione in probabilitatem aut dubium directa, sed ex aliqua accedente circumstantia objecto extrinseca.

Regula 3ª. Quod ex duabus præmissis probabilibus legitime infertur non est hoc ipso probabile. *Regula 3.*

Regula 4ª. Similiter quod ex principio probabili infertur probabiliter tantum non est hoc ipso probabile. Hæ regulæ nulla explicatione indigent : spectant autem ad probabilitatem intrinsecam sive demum ex extrinseca sive ex intrinseca deductam. *Regula 4.*

Quoad extrinsecam vero sint regulæ sequentes :

Regula 5ª. Quidquid vir peritus et probus post diligens rei examen absque inordinato affectu asserit se credere verum aut asserit esse certo probabile, est certo tale. *Regula 5.*

Regula 6ª. Quidquid iisdem positis talis homo asserit se existimare probabile est certo probabiliter tale. Imo potest esse certo probabile, ut in casu regulæ 2ª sub 1°. B. *Regula 6.*

Regula 7ª. Quidquid eodem modo plures hujusmodi homines asserunt est certo probabile. Si enim non tantum uni sed pluribus hujusmodi res probabilis videatur, id non potest esse nisi ex eo quod apparentia reipsa sit tanta ut assensum prudentem mereatur. *Regula 7.*

152. *B.* Ut eadem probabilitas consideratur quoad nos. *Notandum.* In supra positis regulis sicut et in sequentibus non loquimur de probabilitate *quoad nos tantum* sensu quo nos definivimus, neque enim id necessarium duximus : cum, considerata qua parte suo modo objectiva est, sequatur regulas de probabilitate quoad se, sensu juxta suam naturam restricto ad determinata adjuncta et examen quod in his adjunctis est possibile et requisitum ; quatenus vero formaliter consideratur quoad subjectum seu quoad nos, quæ consideratio in ponendis hoc modo regulis utique attendi debet quoniam de probabilitate quoad nos tantum præcise agitur, sufficiat mutare verba : est probabile, in hæc alia : nobis ut probabile innotescit. Ut unum proponamus exemplum, ita exprimere oportet de probabilitate quoad nos tantum, regulam ~~1ª~~ unicam sub 1°, *A* : Quidquid in re inevidente, post omnium aut potissimorum quæ a nobis hic et nunc examini subjici potuerunt et debuerunt sapientem considerationem, secluso inordinato affectu, judicari potuit verum aut certo

B. *Formaliter quoad nos.*

Nota de probabilitate quoad nos tantum.

probabile, est quoad nos tantum certo tale (licet quoad se, ulteriore diligentia adhibita quæ nobis hic et nunc non fuit possibilis aut saltem non requisita, appareret non esse certo probabile). — Sed agendo nunc de probabilitate quoad se, considerata formaliter ut est simul quoad nos, poterit hæc consideratio tripliciter fieri : 1° relate ad ipsos viros peritos qui rite rem examinarunt; 2° relate ad rudes et indoctos qui de rebus hujusmodi nihil nisi ex doctorum testimonio norunt; 3° relate ad eos qui doctorum sententias quidem cognoscunt, sed rem ab intrinseco non examinant ut per se ipsos de intrinseca probabilitate sibi judicium prudens formare possint, adeoque soli extrinsecæ niti volunt.

Consideratio hæc formaliter quoad nos fieri potest tripliciter.

Porro si de probabilitate quoad se intrinseca, sive immediata sive mediata agatur, sufficit, ut regulæ constituantur de eadem probabilitate quoad nos, solummodo addere : in quantum nobis innotescit. Et ita de mediata speciatim, regulis supra positis adde : relate ad illum cui illatio innotescit.

Probabilitas vero extrinseca relate ad ipsum peritum eam asserentem jam ponit probabilitatem tum quoad se tum quoad ipsum, quæ sit intrinseca, aut tandem intrinsecam præsupponat si et ipse peritus extrinsecæ immediate nitatur.

Quid hic remaneat faciendum.

153. Unde hic addendæ tantummodo sunt regulæ quibus relate ad alios, sive indoctos qui aliud medium cognoscendi probabilitatem seu potius assensum prudenter formandi non habent, sive doctos qui soli extrinsecæ fidunt, innotescat eadem extrinseca probabilitas; aut etiam constituatur extrinseca *quoad nos tantum*, ut relate ad indoctos potissimum fieri potest, quibus per se facilius est prudenter assentiri rei quoad se non probabili, in adjunctis tamen ubi ipsi inveniuntur objectiva, modo sæpius explicato, probabilitate non carenti, quia nulla fere diligentia doctis imposita ab illis requiri potest.

a) Quoad indoctos.

154. *a)* Regulæ quoad indoctos :

Regula 1ª. Quoad indoctos omne illud est certo probabile ita ut prudenter assentiantur, quod illis a viro de cujus peritia et probitate nulla est ratio dubitandi proponitur ut

verum; quamdiu nihil ab extrinseco aut a propria ratione ab intrinseco in contrarium suggeritur.

Hæc probabilitas quoad eos tantum esse poterit, quod nihil tamen refert ad prudentiam absolutam assensus et actionis juxta illum ponendæ a rude, cum in sola probabilitate extrinseca directe sistat neque ulterius reflectere in probabilitatem intrinsecam ei sit præceptum aut possibile; neque vero ideo mere subjectiva dici potest illa probabilitas, cum quivis homo probus et prudens in similibus adjunctis, hoc est, si hic et nunc nulla esset facultas et obligatio ulterius examinandi quocumque tandem modo id contingat, similiter judicaret : inde enim præcise oritur illud discrimen inter doctum et indoctum, quod hic ad modicam diligentiam ille vero ad majorem tenetur. *Explicatur.*

Regula 2ª. Idem dicendum si quid eodem modo proponatur ut certo probabile, quoad eosdem omnesque qui ab extrinseca auctoritate gubernantur. *Regula 2.*

Regula 3ª. Quod autem solum asseritur probabile, est certo probabiliter tale quoad indoctos, imo ut certo probabile reputari debet quoad eosdem, modo nil afferatur in contrarium. *Regula 3.*

Pars prior evidens est et valet etiam quoad omnes.

Quoad alteram partem in memoriam revocanda sunt quæ dicta fuerunt ad regulam 2ᵐ, sub 1°, B, et ad regulam 6ᵐ, sub 2°, A. Hisce positis, qui non potest adeoque nec tenetur per se scrutari an taliter asserens habeat directe vel saltem reflexe certitudinem, an vero tantummodo opinionem de probabilitate rei, potest absolute assertum accipere, si nil in contrarium afferatur, ut ponimus : dum ille qui per se de intrinseca probabilitate judicare potest deberet investigare utrum tamquam certo probabile id asseri possit et asseratur. *Explicatur.*

Optime notat Terillus (1) hanc regulam sicut et præcedentem raro inservire indoctis : « quia illi non solent quidquam petere de probabilitate, de qua parum cogitant et minus intelligunt. Quærunt enim an aliquid liceat necne; illisque prudentes absolute respondere solent : licet, vel : non licet,

(1) Op. cit., Q. VI, n. 15.

prout sentiunt. Cæterum, quia contingere potest prudentes (sed in hoc minus prudentes) non simpliciter respondere idiotis de absoluta rei veritate, sed solum asserere rem illam esse probabilem, ideo congruum fuit præsentem assertionem ponere. Omnibus porro consulendum est, ut idiotis absolute de rebus ipsis pronuntient, juxta quod ab illis petitur, nam uti ambagibus et indirectis viis, per terminos ab ipsis aut nullo modo aut valde confuse intellectos, est ansam variis suspicionibus et dubiis præbere, unde sæpe post resolutionem æque dubii manent, ac erant ante quæstionem propositam ». Notemus obiter idem a fortiori valere quoad scrupulosos etiam doctos.

Regula 4. *Regula* 4ª. Auctoritas unius doctoris doctrinæ ac pietatis fama præstantis, aut alicujus auctoritative in ordine ad dirigendos mores præpositi ut est parochus et confessarius, sufficit indocto ad dubium vel ob propriam imperitiam, vel ob rationem aliquam seu auctoritatem non magni momenti exortum, deponendum et sententiam illius sapientis aut præpositi ut certo probabilem amplectendam.

Explicatur. « Sic rusticus ob parva motiva anceps de re sive ad fidem sive ad mores spectante, imprudens est, si sui parochi resolutioni non acquiescat. Neque enim, ut formet conscientiam, opus est plures consulere, alioquin pro formanda conscientia deberet ad urbem accedere et theologorum concilium convocare, antequam posset conceptum dubium prudenter deponere; quo nihil absurdius dici potest. Similiter fœminæ timoratæ conscientiæ deberent urbem circumcursare, pluresque doctores fatigare, priusquam possent conceptum scrupulum prudenter deponere » (1).

b) Quoad doctos. 155. *b)* Quoad doctos qui rem ipsam ab intrinseco non examinant sed sola extrinseca probabilitate nituntur.

(1) Ibid., n. 16. Cfr. S. Antoninus, p. 1, tit. 3, cap. 10, § 10, qui plures citat; consentit Major *in prol. 4 sent.*, Q. 2, contra concl. 4, apud Terillum. Et subscribunt Navarrus l. 5, *Consil. de Pœnit. et Remiss.*, cons. 17, apud Terillum, et in *Manuali*, c. 27, nn. 281, sqq.; Sylvester et Cajetanus in suis summis.

In sequentibus regulis nulla fere opus est explicatione, cum plures ex illis sint evidentes, aliæ ex præcedentibus intelligantur, aliæ tandem paululum perpensæ facile clarescant.

Regula 1ª. Omnis opinio de præsenti communis in scholis catholicis cujus probabilitas a viris peritis non revocatur in dubium est quoad nos certo probabilis. *Regula 1.*

Regula 2ª. Quidquid ab omnibus asseritur esse probabile, etiam ab illis qui absolute existimant illud esse falsum, est certo probabile quoad omnes qui rationes non expendunt aut novas easque urgentissimas in contrarium non habent. *Regula 2.*

Regula 3ª. Idem dicas de sententia quæ de præsenti viget in Ecclesia quamque sapientes non improbant tacetque Ecclesia. *Regula 3.*

Regula 4ª. Omnis opinio quam plures v. gr. tres quatuorve viri doctrina et pietate præstantes post diligens examen aut absolute tradunt esse veram, aut cum teneant oppositum docent esse probabilem, aut imo simpliciter affirmant concorditer esse probabilem, est certo probabilis quoad nos, modo nemo doctrina et pietate celebris talis opinionis probabilitatem in dubium revocet, licet alii communiter eam ut falsam rejiciant i. e. oppositam ut veram teneant. *Regula 4.*

Regula 5ª. Nulla vero opinio cujus probabilitas de novo negatur aut in dubium revocatur a pluribus doctis et piis est certo probabilis quoad nos, nisi nova suppetant motiva ad illam probandam. *Regula 5.*

Regula 6ª. Opinio quam gravis auctor modernus, maxime vero in rebus ad jus humanum spectantibus, asserit esse communem et pro ea multorum loca citat, est quoad nos certo probabilis non quidem omnimoda sed humana quadam certitudine. *Regula 6.*

Regula 7ª. Idem dicas de opinione pro qua auctor gravis quique publice habetur ut verax et diligens in citando, citat tres vel quatuor doctores præstantes. *Regula 7.*

Regula 8ª. Quod a singulari viro doctrina et pietate multum præstante absolute asseritur esse verum, imo esse probabile, in re quam ipse solus ex professo tractavit, nihilque *Regula 8.*

repugnet sensui communi aut absurdi appareat, est certo probabile quoad nos.

Explicatur. Hæc regula supponit aliquod examen saltem negativum probabilitatis intrinsecæ.

Potest etiam casus contingere ut talis doctor reddat suam sententiam probabilem adversus communem aliorum : si nimirum solide respondeat aliorum argumentis et nova argumenta tanti momenti producat ut virum prudentem et peritum reipsa movere possint ad assensum. Eritque casus mutatæ probabilitatis, quatenus oppositæ sententiæ probabilitatem convellat aut certe in quantum, hac manente, novam saltem suæ sententiæ probabilitatem astruat. Inde :

Regula 9. *Regula* 9ª. Auctoritas tanti doctoris reddit illam suam opinionem quoad nos probabilem, modo dicat se ad hanc fuisse adductam modo statim descripto, nec alii solidas esse ejus rationes negent.

Regula 10. *Regula* 10ª. Quod ab aliquo aut aliquibus tantum paucis auctoribus obiter dicitur, maxime si sit contra communem sensum, non eo ipso potest judicari probabile. Absurdius vero asserebat propositio 27ª inter 28 damnatas ab Alexandro VII, a. 1665 : « Si liber sit alicujus junioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse a Sede apostolica tamquam improbabilem ».

II.

Regulæ quoad comparationem sententiarum ad invicem.

Regula 1. 156. *Regula* 1ª. Probabilitas unius partis contradictionis non implicat probabilitatem alterius partis.

Explicatur. Res est manifesta : sufficit enim ut unius partis veritas aut falsitas sit quocumque gradu incerta, ut altera possit esse probabilis.

Ita sæpe contingit unam contradictionis partem esse probabilem in quæstionibus facti ex solo numero eventuum indagandi, uti supra notavimus, atque idem evenire potest

in probabilitate extrinseca ob auctoritatem testium.—Ita de dispositione pœnitentis, licet indispositio non sit probabilis, sæpe non habetur nisi magna probabilitas, quamquam hæc in dicto casu æquivalere dici potest late dictæ certitudini, quia pœnitentes de propria dispositione testantur, qua in re difficilius error contingit, unde si nulla sit ratio seria dubitandi de eorum sinceritate attingitur humano modo moralis certitudo : quæ rarius habetur ex uno teste ordinario de re externa testante.

Regula 2ª. Unius contradictionis partis probabilitas aut etiam major probabilitas nullatenus excludit alterius partis probabilitatem, etiam quoad eumdem intellectum, idque tam exercite quam signate, id est, ita ut, et utraque probabilitas intellectui appareat, et intellectus utramque partem probabilem esse judicare possit. *Regula 2.*

Hoc tam de intrinseca quam de extrinseca probabilitate procedit.

157. De veritate hujus asserti jam ex præcedentibus ubi notionem probabilitatis exposuimus sufficienter constat. Hoc tamen loco explicationis gratia triplicem casum, quo res accuratius proponatur et solvatur quidquid difficultatis remanere possit, proponimus : *Explicatur.*

1° Tres testentur aliquid de visu, et tres quatuorve item testentur de visu quod cum priore illo conciliari nequit. Quæritur an utrumque assertum illorum testium sit probabile, damus autem nullam specialem rationem occurrere *ex parte ipsorum testium* dubitandi quasi a priori de eorum sinceritate, et quoad utramque partem perfectam ponimus paritatem?

Respondemus : potest esse utraque pars probabilis seorsim diversis intellectibus probabilitate quam *quoad nos tantum* vocavimus; eidem vero intellectui utraque motiva perpendenti nulla potest esse in casu probabilis, nisi ponatur numerus et gravitas testium uni parti faventium multum excedere auctoritatem testium alteri parti faventium. Ratio est manifesta : evidens enim est alteram partem testium mentiri, cum loquantur omnes de rebus a se visis et sibi contra-

dicant, adeoque evidens est alteram partem omni ratione destitui ad asserendum quod dicunt. Porro dum non constat quæ pars ratione destituatur, nec potior præsumptio sit pro una quam pro altera parte, nulla est ratio prudens cur uni potius quam alteri fides adhiberi possit. Unde hic nulla probabilitas sed ad summum dubium quod alicubi vocavimus positivum stricte dictum.

158. 2° Decem auctores aliquam sententiam veram esse asserunt, decem alii ejusdem auctoritatis eam falsam esse pronuntiant.

Quæritur annon sit paritas cum casu præcedente?

Respondemus : disparitatem esse, quia in illis materiis scientificis, ubi sibi contradicunt auctores et nihil evidenter sciri potest, sed solum per conjecturas et motiva fallibilia, sæpe omnino certum est neutram partem auctorum loqui contra suam mentem, sed evidens est præsumptio quod utraque pars magnis rationibus mota interius judicet quod exterius affirmat. Rursus apud doctos hoc ipsum experientia constat : nam in multis ita adhæremus nostræ opinioni ut videamus eam non esse necessario veram, et oppositam validis rationibus inniti; adeoque clare perspicimus utramque sententiam et esse, et nobis apparere probabilem.

159. 3° Plures auctores uni parti favent, pauciores ejusdem auctoritatis parti oppositæ.

Quæritur *a)* an hæc posterior possit esse extrinsece probabilis intellectui cui utraque auctoritas innotescit, cum cæteris paribus, quod a pluribus asseritur frequentius contingat esse verum quam quod a paucioribus?

b) Et posito rationes valentiores pro illa priori, ut natum est fieri, existere; an potest posterior esse intrinsece probabilis respectu intellectus utriusque rationes perpendentis, cum rationes minus validæ, licet absolute loquendo sæpius connexæ cum veritate quam cum falsitate, in contradictione tamen validiorum sæpius cum falsitate quam cum veritate connectantur?

Respondemus : opinionem cui plures adhærent esse cæteris paribus extrinsece probabiliorem quam cui pauciores.

Et idem dicimus de intrinseca probabilitate opinionis quæ validioribus nititur motivis. Neque plus probant rationes allatæ. Verum hoc non obstante pars a paucioribus tradita, aut minus validis innixa rationibus, etiam in sensu composito cum majoris auctoritatis et rationum validiorum conflictu, potest esse probabilis; sufficit, ut res intelligatur, attendere ad ea quæ de probabilitate absoluta non confundenda cum relativa diximus : magnitudo nempe stimuli ad assentiendum non debet comparari tantum cum stimulo majore vel etiam æquali pro altera parte sed cum omni illi æquali, sive aliquid sive nihil afferatur in contrarium; ponimus autem esse talem, cui omnis stimulus similis absolute et in se sæpius cum vero quam cum falso connectatur. Tunc tantum in sensu composito cum motivis oppositæ partis, deficiet alterius partis probabilitas, si et *ipsa motiva* sint ita invicem opposita ut si pro una admittantur, pro altera valere ulla nequeant; seu evidenter sint nulla.

III.

Regulæ quoad gradus probabilitatis.

160. Sæpius difficulter scire possumus quænam quoad se sint probabiliora : gradus enim probabilitatis sæpe percipiuntur quoad nos tantum imo mere subjective, quando de probabilitate juris potissimum, intrinseca agitur. Cæterum haud magni momenti res est dummodo de vera probabilitate constet, ut ex altera hujus partis sectione elucebit.

Ponemus tamen quasdam regulas quibus probabilioritas quoad se, adeoque quoad nos dignosci valeat; ita ut potius sub hac ultima consideratione sub qua facilius sicut ipsa probabilitas ita etiam gradus ejusdem innotescunt, loquamur et magis extrinsecæ quam intrinsecæ ob eamdem rationem insistamus. *Quid regulæ agantur.*

Regula 1ª. Probabiliora sunt quæ cæteris paribus post exactiorem totius quæstionis enodationem statuuntur aut asseruntur. *Regula 1.*

Regula 2. *Regula* 2ª. Probabiliora sunt quæ cæteris paribus ante omnem affectum aut assensum uni parti addictum magis trahunt ad assensum, aut iisdem statutis, ab auctoribus ut probabiliora traduntur.

Regula 3. *Regula* 3ª. Probabiliora sunt quæ cæteris paribus a præstantioribus quam a minus præstantibus Doctoribus, item : a pluribus quam a paucioribus docentur.

Regula 4. *Regula* 4ª. Probabiliora sunt quæ cæteris paribus a posterioribus traduntur, præsertim si rationes afferant ab antiquioribus non consideratas : maxime vero id valet in rebus ad jus humanum, sive canonicum sive civile, spectantibus.

§ V. *De assensu ex motivo probabili.*

161. Quæ in notionibus generalibus de dubio, hujus sectionis capiti primo præpositis, de assensu obvie attigimus, hoc loco paulo fusius atque distinctius evolvere necesse est : quem in finem, ex ordine naturam assensus, rationemque formalem diversorum assensuum, eorumque gradus ac necessitatem aut libertatem exponemus ; — deinde magis in specie de imperio voluntatis in ordine ad assensum, agendum erit ; — quo præstito tandem facile præcipuam hocce loco quæstionem solvemus de assensu in verum ex motivo probabili.

I.

162. Illud cui assentimur seu *objectum materiale assensus* cujuscumque est propositio seu oratio exprimens aliquod verum aut falsum ; non tamen assentimur nec assentiri possumus alicui objecto nisi sub ratione veri, unde si per accidens erronee falso assentiamur, ei assentimur tamen sub ratione veri, seu quia nobis errantibus videtur verum : unde *objectum formale* assensus veritas est propositionis, seu motivum formale cur assentimur veritas est nobis aliquo modo innotescens ; veritas enim est quæ movet intellectum ad

Notio assensus generice sumpti.

assensum, sicut bonitas movet voluntatem, conditio autem necessaria ut movere possit, est ut se manifestet et apprehendatur. Est igitur assensus generice sumptus : mentis adhæsio alicui propositioni ut veræ.

Diversis modis potest veritas manifestari, adeoque diversis modis ac porro diversa efficacia movere intellectum; et juxta distinctos hosce modos, erit distinctio objecti seu motivi formalis, quæ importat distinctionem assensuum. *Distinctio assensuum.*

Potest itaque veritas innotescere immediate per se; vel mediate, et hoc ab intrinseco seu ratiocinio, vel ab extrinseco seu auctoritate, atque ita habebimus triplicem assensum distinctum : visionis, scientiæ et fidei. Potest iterum veritas hisce modis innotescere aut certo aut probabiliter; si enim non innotescit saltem probabiliter, dicenda est non manifestari potius quam manifestari, neque ullus assensus proprie dictus dari potest, nisi imprudenter, ut ex ipsis notionibus probabilitatis elucet. Si istis modis certo innotescat veritas, assensus in veritatem erit vel saltem esse poterit certus; si probabiliter tantum, assensus in hanc veritatem tantum esse poterit opinativus seu opinio.

163. Ponamus 1° veritatem manifestari certo. Et quidem *a)* immediate et per se, seu ex ipsis terminis inspectis. Tum certitudo objectiva illius veritatis est proprie evidentia intrinseca et immediata, sola conditio assensus est inspectio terminorum, qua facta necessario rapitur assensus in objectum materiale seu veritatem illam, excluso voluntatis imperio, cui nihil aliud relinquitur quam ut impediat ne intellectus aspiciat, nullo autem modo ne aspiciendo non videat; objectum formale assensus est ipsa intrinseca necessitas veritatis seu convenientia terminorum percepta. Assensus hic est *visio* intellectualis. *Visio intellectualis.*

Si *b)* mediate innotescat veritas, id fiet vel ab intrinseco, ex perspecta connexione intrinseca cum alia veritate; vel mere ab extrinseco ob auctoritatem testantis. Si primo modo, si nempe veritas medio termino qui intrinseco communi nexu seu conformitate cum utroque termino propositionis qua de agitur perspicitur connexus, elucescat, aliis

verbis, mediante discursu seu syllogismo formali, qui vim syllogisticam seu illativam vere habet et ignotum ex notis infert, non vero mere vocaliter per materialem dispositionem terminorum juxta formam logicam efformetur, et in quo conclusio æque nota sit ac præmissæ : tum veritas illa seu objectum materiale assensus erit evidens mediate seu evidentia deductionis, quam intrinsecam mediatam vocamus, ut a mere extrinseca seu credibilitatis distinguamus, licet non eodem jure intrinseca sit ac immediata sed in tantum extrinseca, in quantum eget tertio termino comparationis, ut videatur. Posito assensu in deductionem evidentem, qui talis est qualem sub *a)* descripsimus, seu perspecta evidente deductione, jam adest conditio assensus in ipsam veritatem deductam de qua agitur; objectum formale est consequentia evidens perspecta. Assensus dicitur *scientia*. In hoc assensu non est libertas, nisi præcisione facta a præmissis : quia potest intellectus inspicere terminos propositionis quin rapiatur assensus, si negligat comparationem cum termino medio. Unde non est locus imperio voluntatis nisi in avertendo intellectum a considerandis præmissis.

Scientia.

Si tandem ab extrinseco veritas manifestetur, non per se nec mediante tertio communi termino, sed ab alio intellectu eam possidente et nobis testante, tum ei assentiri non possumus nisi formaliter ut continetur in scientia et veracitate testantis, seu testantis auctoritate. Objectum formale seu motivum formale cur assentimur est auctoritas testantis perspecta. Conditio est cognitio certa illius auctoritatis, adeoque assensus prævius certus imo qui necessarius esse potest (ut si de Deo revelante agatur) in illam auctoritatem, præsupposita testimonii auditione sive certa sive evidente. Hac enim præsupposita, et posita cognitione certa vel evidente auctoritatis, jam ipsi veritati assentiri potest intellectus, ac porro rationabiliter debet. Hic assensus est *fides*, quia non videmus nec scimus veritatem sed fidimus alteri eam possidenti. Assensus autem est physice liber, quoties motivum formale illius est auctoritas, quæ de se nullam evidentiam quæ rapiat visionem intellectus, ipsi rei cui

Fides.

assentiendum est tribuit, sed tantum evidentiam credibilitati ejus et officio credendi affundere potest; adeoque in omni assensu formali fidei, datur locus imperio voluntatis, idque etiamsi ponatur auctoritas ac testimonium evidens (1).

(1) Hæc potissimum usui sunt in Q. de fide divina, quam quidam, posita evidentia auctoritatis divinæ, si ipsum factum locutionis Dei ponatur evidens. jam liberam non esse dicunt. Hæc, quamvis directe ad rem nostram non pertinere videri possint, quia tamen multum conferunt ad intelligentiam jam dictorum, breviter attingimus. Imprimis quidem, nemo negat non esse necessitatem in assensu nisi ex visa necessitate objectiva veritatis seu convenientiæ terminorum sive immediate, sive saltem mediante tertio termino, simul inspecto, qui cum utroque intrinsece connectatur, seu ratiocinio evidente. Unde et illi AA. de quibus loquebamur, inde negant libertatem assensus in prædicto casu quia dicunt veritatem revelatam evidenter deduci ex evidentibus præmissis, quamquam melius dicerent fidem proprie dictam non fore possibilem quam fidem non fore liberam, cum assensus ille esset scientiæ, non fidei; et fides formalis semper sit libera, ut diximus et ex dicendis patebit. Ponunt itaque hi AA. (vide Franzelin, *De Div. Trad. et Script.* pag. 577) sequentem syllogismum : « quidquid Deus dicit, non potest non esse verum; Deus dicit tres esse personas divinas; [ergo] tres sunt personæ divinæ. » Adeoque, ajunt, assensus in conclusionem est necessarius, cum major sit evidens, et ponatur evidentia minoris, ac evidens sit consequentia. Atvero *a*) patet auctoritatem qua talem, quamtumvis evidentem, non reddere veritatem assertam visam in se immediate, adeoque nec quod Deus dicit ideo esse ex terminis evidens. Neque vero hic est sensus majoris intentus; *b*) dicimus auctoritatem Dei, posita etiam evidente locutione, producere non posse assensum scientiæ in veritatem revelatam, seu huic dare non posse evidentiam deductionis. Assertum probamus examine syllogismi positi, in quo, distincta majore, duplex habemus ratiocinium sequens : 1m : (quidquid sit de evidentia objecti revelati materialiter sumpti et assensu in illud), formaliter ut a Deo dicitur seu « quidquid Deus dicit, non potest non esse verum » ita ut *rapiatur assensus in illud*, si locutio sit evidens. Atqui evidens est locutio : Trinitatem existere. Ergo evidens est Trinitatem existere, et rapitur assensus in illam veritatem.

2m: (Eadem animadversione facta). « quidquid Deus dicit, non potest non esse verum, » i. e. ita ut *rapiatur assensus in necessitatem id admittendi altero assensu* præstito quia a Deo dicitur (qui solus fides est), seu *in ejus credibilitatem et credenditatem*, ut ajunt, *evidentes ;* — et si locutio sit evidens, id determinatæ illi edictæ veritati evidenter et necessario. non tantum certo et sufficienter applicatur; adeoque, quemadmodum ubi certa tantum est locutio, voluntas intervenit ita ut, posito judicio practico : veritatem esse credendam (juxta priorem assensum), possit tamen imperare

Ex dictis habemus omnem evidentiam tam mediatam sive intrinsecam sive extrinsecam, quam immediatam importare aliquem assensum necessarium, sed in diversa objecta.

Ne confundas assensum in probabilitatem cum assensu in verum ex motivo probabili.

164. Agendum jam est 2° de veritate probabiliter tantum innotescente. Ut omnis confusio excludatur, sedulo notandum est nos sermonem nunc habituros de propositione ceu objecto materiali assensus, quam ponimus probabiliter innotescere, et de assensu in hujusmodi propositionem ut veram

aut negationem vel saltem dubitationem vel suspensionem assensus, aut assensum in veritatem illam, quia certitudini credenditatem applicari huic determinatæ veritati non repugnat physice dubium imprudens de eadem veritate. imo negatio ejusdem irrationabilis et illogica : ita, ubi evidens est locutio, intervenit quidem voluntas, quia quotiescumque præcedit judicium practicum, non potest excludi voluntatis imperium, sed ita tamen ut actus imperatus non repugnet physice evidentiæ quacum applicatur credenditas huic revelatæ veritati, repugnat autem negatio hujus veritatis aut dubitatio formalis de eadem, non vero suspensio assensus, quæ adeo possibilis est at irrationabilis. — Atqui Deus dicit tres esse personas divinas, et locutio ista supponitur evidens; ergo evidens est necessitas admittendi Trinitatem assensu fidei etc. ut in majore.

Distinctio itaque est in majore ratiocinii ab AA. prædictis allati, ita ut posteriorem sensum adeoque et 2^{m} ratiocinium admittamus. Priorem vero sensum negamus; præterea in sensu illo quem ut majorem 1^{i} ratiocinii constituimus, major illorum AA. illud præcise est quod est probandum, adeoque argumentatio ejusmodi est petitio principii. Neque in illo ratiocinio 1°, ulla est vis syllogistica, sed mere materialis est, recta quidem, dispositio terminorum secundum formam logicam, ut inspicienti patet. Unde concludimus vi auctoritatis nullum esse discursum quo veritas revelata evidens demonstretur, et factum ipsum locutionis nullum influxum causalitatis habere in assensum fidei quo veritas revelata accipitur sed meram conditionem esse ut auctoritas applicetur illi veritati, ideoque de eo constare debere sive certo sive evidenter, saltem certo.

Si nunc resumamus ratiocinium illorum AA. : « quidquid Deus dicit, non potest non esse verum; Deus dicit tres esse personas divinas » vides conclusionem non esse « tres sunt personæ divinæ » in cujus existentiam rapiatur assensus, positis ponendis, sed : tres esse personas divinas non potest non esse verum, i. e. juxta distinctionem majoris, debet necessario admitti ut veritas credenda etc. ut in majore 2^{i} ratiocinii.

c) Libertatem igitur fidei reponimus in inevidentia objecti materialis formaliter ut revelati seu inevidentia manente sub auctoritate Dei revelantis ; et credimus solam visionem Dei evacuare fidem et libertatem ab ea inseparabilem. Cfr. S. Thomas, 2^{a} 2^{æ}, Q. 5. a. 1.

ex motivo seu apparentia illa probabili; nullatenus vero de probabilitate illa ceu objecto materiali assensus et assensu in probabilitatem; quæ si ut objectum materiale assensus consideretur, recurrunt omnia quæ diximus de modo quo veritas aliqua (quæ in casu hæc est : rem esse probabilem) innotescit sive immediate sive mediate sive auctoritate, ac porro vel certo vel probabiliter, deque assensibus respondentibus. Cæterum de cognoscenda probabilitate, adeoque et assensu in probabilitatem ex motivis certis vel probabilibus, non in veritatem ex motivo probabili, egimus tota præcedente § IV, ubi regulas dignoscendi probabilitatem tum immediatam, tum mediatam, tum authenticam exposuimus.

Nunc itaque quæritur, posita cognitione certa probabilitatis, undecumque oriatur, adeoque posito assensu certo in illam probabilitatem, de altero assensu opinativo seu opinione qua aliquid ut verum habetur ob motivum certo probabile, quaque eligitur opinative una ex contradictoriis quocumque gradu sed vere probabilibus ut *vera*, quod jam facimus in altero puncto.

De solo posteriori hic agitur, seu de opinione.

II.

165. Quæ initio hujus quæstionis de assensu in alterutram partem probabilem Terillus animadvertit ut res melius intelligatur, revera sufficiunt ut omnis difficultas seria amoveatur. Advertit itaque : « motiva intellectus ita se habere ad intellectum, sicut motiva voluntatis se habent ad voluntatem. 1. Imprimis sicut purum bonum evidenter cognitum necessitat voluntatem ad sui amorem, ita purum verum evidenter cognitum necessitat intellectum ad illi præbendum assensum. 2. Sicut bonum imperfectum aut malo aliquo admixtum, nullam in voluntatem necessitatem inducit, ita nec motivum obscurum, aut probabile ullam assentiendi necessitatem intellectui imponit. 3. Sicut in bonis imperfectis, voluntas seipsam determinat, quia est libera, ita intellectus ut in obscuris assensum præbeat, determinari debet per voluntatis imperium; quæ, sicut sola est potentia

Motiva intellectus se habent ad intellectum sicut motiva voluntatis ad voluntatem.

libera, seu electiva, ita sola aliarum potentiarum indifferentiam determinare potest. 4. Sicut voluntas in actu primo impelli potest ad utramque partem oppositam per motiva sibi contraria, ita intellectus ad partes contradictorias sæpe impellitur propter argumenta utrique parti faventia. Cæterum hic impulsus intellectus et voluntatis ad opposita, non est ad illa copulative, sed solum disjunctive sumpta; quia impulsus a natura institutus ad possibilia tendit, non ad impossibilia, ideoque sicut voluntas non potest simul efficaciter eligere objecta inter se contraria, ita intellectus flecti non potest ad simul opinandum de utraque parte contradictionis. 5. Sicut motiva voluntatis aliquando sunt penitus similia, ut quando electio instituitur inter duo objecta ejusdem omnino bonitatis... aliquando vero sunt dissimilia, quia continent bona diversi generis, uti fit dum bonitatem voluptati præferimus vel e contra; bona enim hæc dissimilia sunt, et utrumque secundum quid excedit alterum, et ab eodem secundum quid exceditur; ita motiva intellectus pro utraque parte contradictionis aliquando sunt similia, aliquando dissimilia. Similia sunt motiva intellectus quæ ab authoritatibus v. gr. penitus similibus desumuntur; dissimilia sunt, quæ ex rationibus dissimilibus sumuntur; ut si pro una parte staret experimentum, pro altera principium aliquod metaphysicum; vel una pars soli authoritati niteretur, altera soli rationi; vel demum si utraque contradictionis pars tam rationibus quam principiis diversis fundaretur. Tunc enim utrumque fundamentum secundum quid excederet alterum, et secundum quid ab eo excederetur, quia unumquodque motivum continet aliquam veri apparentiam, quæ in altero dissimili non continetur : sicut eadem de causa dissimilia motiva voluntatis secundum quid se invicem excedunt, et ab invicem excedantur.

Demum hac in re distinguenda est apparentia pro utraque parte contradictionis, quæ omnem voluntatis affectum peculiarem, omnemque etiam intellectus assensum alicui parti affixum antecedit ab ea quæ dictum voluntatis affectum atque intellectus assensum comitatur, aut consequitur.

In hoc enim paritas currit intellectum inter ac voluntatem ; sicut enim voluntas per ipsam objecti electionem vehementius in illud propendet, quam ante ejusdem electionem propenderet, ita intellectus tam per quam post assensum alicui objecto præstitum, longe majore vi ad illud credendum impellitur, quam pro illo priori, in quo obscure tantum stimulabatur ad assensum illi præstandum. Et sane, affectum uni parti singulariter impensum plurimum efficere circa apparentiam veritatis in objecto, est certissimum; facile enim credimus quod cupimus, difficile vero assentimur illi quod nolumus. Similiter cum ipsum judicium sit absoluta adhæsio objecto ut vero, manifestum est, quod per ipsum judicium alia formaliter apparentia veritatis habeatur, quam quæ existebat in intellectu pro priori. Similiter consequenter ad tale judicium, alia est apparentia veritatis quam quæ præcesserat tale judicium, quia ex memoria prioris judicii et modi quo veritas objecti per illud intentionaliter existebat in mente, intellectus fortius inclinatur ad iterum illi assentiendum, quam ab initio traheretur. Rursus unusquisque post talem assensum difficilius credit oppositum quam ab initio credidisset; nunc enim a veritate semel credita recedere non potest nisi se deceptum fuisse existimet; at nemo facile credit se in suo judicio fuisse deceptum » (1).

III.

166. Hisce præmissis, jam nullo negotio totam quæstionem absolvemus duplici facile probanda propositione :

Propositio I. Manendo intra limites veræ probabilitatis, potest intellectus imperante voluntate assensum præbere cuilibet parti contradictionis sive ea sit probabilior, sive æque sive minus probabilis quam opposita, et etiam ut talis signate cognita. Adeoque verum non est intellectum semper amplecti partem quæ sibi probabilior apparet nisi sensu

Propositio I.

1. Assensus in partem utramvis contradictionis quocumque gradu sed vere probabilem est possibilis.

2. Quo sensu suum cuique opinatum sit probabilius.

(1) Op. cit , Q. VIII, nn. 2 et 3.

consequente : quatenus apparentia verisimilitudinis consequens ad assensum jam absolute præstitum, semper major est pro parte cui datur assensus quam pro opposita.

Probatur pars I. De assensu in probabiliorem partem.

Probatur pars prior. Si 1° de assensu in partem probabiliorem agatur nulla est difficultas, cum res sit evidens et conscientiæ testimonio demonstretur, nec quisquam forte contradicat, nisi unus Mercorus (1), qui expresse tradit intellectum flecti non posse in assensum partis probabilioris quamdiu pars opposita apparet probabilis. At vero Mercorus confundit formidinem quæ manet in omni opinione, cum dubio formali; et vel ex seipso confutatur : nam si dicat se assentiri ut parti probabiliori, habemus intentum; si ut certæ, id non ex objecto sed ex voluntatis influxu oritur, quia argumentorum ejus meritum juxta omnes longe superat assensus moraliter certus, ipse tamen assentitur, ergo a fortiori potest voluntas assensum minorem imperare, id est ut in probabiliorem tantum.

De assensu in partem æque probabilem aut minus probabilem.

Si 2° de assensu in æquiprobabilem aut minus probabilem agatur, quamvis difficultas non sit valde magna cum tamen res sit majoris momenti, aliquam meretur explicationem. Dico : majoris momenti, quia si verum esset intellectum flecti non posse nisi in partem probabiliorem, hoc non parum conduceret (2) ad probandam sententiam illorum qui putant nemini licere sequi partem minus tutam si illa sit æque aut minus probabilis quam pars tutior, quamquam hæ quæstiones omnino confundi non debent. Pars autem tutior hic dicitur quæ plus recedit a periculo infringendi materialiter legem.

Argumentum.

Indifferentia intellectus ad assentiendum vero apparenti determinari debet a voluntatis imperio, et per omnia proportionatur ipsius voluntatis libertati in ordine ad intentionem et electionem boni. Voluntas enim sua libertate indif-

(1) *Basis totius mor. theol., hoc est, praxis opin. limitata,* p. 2, a. 7.

(2) Non tamen rem absolveret, quia ut supra indicavimus, num. 99 sub 5°, posset assensus suspendi, et adhuc recurri ad principia indirecta probabilismi. Præterea ex alio capite non sunt confundendæ hæ duæ quæstiones, ut hic notatur, infra autem n. 173 explicabitur.

ferentiam potentiarum sibi subjectarum ita determinat sicut illæ potentiæ se determinarent si pari cum voluntate libertate fruerentur. Imo ita subduntur illæ voluntati ut flecti possint ad minus bonum eis, relicto majore simili, etiamsi id non posset quoad seipsam voluntas : posset ita intellectus flecti in assensum motivo debiliori, si hoc esset majus bonum voluntati.

Atqui voluntas non solum eligere potest inter motiva æqualia, sive illa sint similia, sive dissimilia, maxime quando melius est alterutrum eligere quam utroque carere ; sed etiam eligere potest ex duobus objectis inæqualibus quod minus est in bonitate, sive objecta illa similia sint, sive dissimilia. Et sane quod minus bonum eligi possit, relicto majore dissimili, inde manifestum est quod, cum in utroque extremo aliqua ratio boni apparet quæ non invenitur in altero, neutrum illorum determinare potest voluntatem ad sui amorem : relinquitur enim stimulus ad fruendum bonitate, in hoc et non in altero contenta. hic et nunc incompossibili cum bonitate oppositi, atque ita voluntas libera est ad amplectendum utrumlibet, quamvis intellectus omnibus consideratis concludat objectum quod relinquitur. esse absolute melius illo quod eligitur.

Quod autem voluntas ex duobus bonis similibus possit eligere minus, manifestum est in Deo creante : ergo a fortiori in voluntate creata quæ defectibilis est et suum bonum relinquere imo stulte malum eligere potest.

Ergo potest voluntas imperare intellectui assensum in partem minus probabilem relicta probabiliore, sive ex motivis similibus sive ex dissimilibus oriatur utriusque probabilitas.

Ulterius res illustratur duplici addito.

167. Duo addimus quæ peropportuna sunt tum ad melius intelligendam naturam istius imperii voluntatis in intellectum, modumque quo intellectus subditur isti imperio et ad nutum voluntatis non violenter sed connaturaliter movetur ad assensum, tum ad præoccupandas difficultates.

1m Ubi voluntas in ordine ad assensum opinativum libertate gaudeat contradictionis, ubi contrarietatis.

Primum est : voluntatem, quamvis ratione cujusque motivi probabilis determinate sumpti, non alia in suo imperio quam contradictionis libertate gaudeat, quatenus determinare potest intellectum ad illi præstandum assensum vel non ; simul tamen, cum hæc ei libertas competat relate ad omne motivum vere probabile, et ex alia parte utrumque contradictorium possit esse simul probabile, eamdem voluntatem habere vim determinandi intellectum ad alterutrius assensum pro libitu, sive sint æque probabilia sive unum probabilius altero, adeoque ratione utriusque collective sumpti habere libertatem contrarietatis, quamvis ratione singulorum disjunctive non habeat nisi libertatem exercitii. Cæterum eodem modo se habet semper voluntas ratione motivorum quibus ipsa ad libere operandum immediate impellitur : ut cuivis reflectenti patet.

2m Quomodo sicut voluntas ita intellectus sine ratione non mutant actus.

Alterum est : nequaquam ex hac thesi nostra concludendum esse intellectum toties quoties posse mutare sententiam ita ut statim falsum existimet quod modo verum credebat, sicut nec voluntas dicenda est posse sine ulla ratione statim odisse quod modo amat. Imperium enim voluntatis de quo agimus non est actus voluntatis utcumque dicens, volo hanc, volo illum assensum; sed opus est ut in tali assensu bonum aliquod appareat in quod voluntas feratur, quia solum bonum est objectum voluntatis. Jam si in aliquo judicio bonum aliquod de novo appareat quod antea non apparebat, et voluntas afficiatur illo bono illudque velit, eligatque judicium pro medio aut necessario aut utili ad illud obtinendum, intellectus statim obedit elicitque judicium contrarium illi quod ante elicuerat, etsi nullum novum motivum intellectus proprium appareat nisi consequenter ad dictum affectum. Quomodo autem hoc novum motivum consequens affectum voluntatis, simul cum motivis antecedentibus intellectui magis propriis, efficiat ut apparentia hæc jam probabilior evadat, adeoque unicuique suum opinatum sit probabilius nunc declarabitur in sequentibus.

Probatur pars II.

168. Pars II. Hoc itaque breviter ostendendum est : apparentiam verisimilitudinis consequentem ad assensum

quem intellectus uni contradictionis parti præbuit, semper majorem esse quam apparentiam veritatis partis oppositæ. Atque hoc sensu verum esse, intellectum numquam assensum præbere nisi parti quæ omni apparentia inspecta tam antecedente quam consequente dictum assensum apparet probabilior.

Tria augent relate ad nos probabilitatem partis cui assentimur.

Tria sunt quæ probabilitatem partis cui assentimur relate ad nos augent : affectus ipse deliberate ei alligatus, propria judicantis auctoritas eidem impensa, et ipsum proprium judicium reflexe cognitum seu vitalis repræsentatio affirmativa objecti ut veri, et rejectiva oppositi ut falsi.

His positis, si antecedens apparentia erat æqualis, evidens est consequentem multo verisimiliorem esse assentienti, pro ea parte cui assentitur.

Sed si antecedens pro parte opposita erat verisimilior, adhuc tamen consequens pro parte cui assentimur verisimilior erit. Et 1° quidem, si vel solum primum caput quod diximus consequentem verisimilitudinem augere, inspiciatur, affectus ille seu amor deliberatus complacet sibi in rationum apparentia quæ illi parti favent quam amplectitur, et displicet sibi in oppositarum apparentia; ergo cognitio reflexa motivorum illorum, ut huic complacentiæ et displicentiæ substantium, ostendit unum ut congeneum alterum ut heterogeneum cum judicantis animo. Hæc autem est apparentia magis sollicitans ad assensum pro parte congenea quam pro opposita, ut patet. Ergo vel ex hoc solum capite apparentia veritatis consequens ad dictum affectum est major pro illa parte in quam affectus inclinat quam pro altera. Rem optime declarant temerarie judicantes de proximo ex aliquo affectu odii, invidiæ, etc.

2° Si auctoritatem judicantis uni parti impensam consideremus, certum est unumquemque propriam suam auctoritatem plurimi facere eamque, dum actu impendit illam, auctoritati omnium quos sibi contrariari putat anteponere. Fieri enim nequit quin eos falli putet in re quam ipse veram reputat, ergo in ordine ad hoc objectum se omnibus contrarium opinantibus anteponit. Itaque si objectum, una cum

rationibus antecedenter habitis, sumatur prout simul substat auctoritati hominis actu sic judicantis, non potest apud ipsum judicantem non apparere ut anteponendum omnibus quæ pro contrario afferuntur. Atque hic titulus præcedenti additus clarius explicat quomodo objectum illud per hanc apparentiam consequentem appareat congeneum huic intellectui, cum objectum oppositum ut illi disconveniens repræsentetur.

3° Quod tertium caput attinet res est evidens : quod enim apparet, imo absolute creditur falsum non potest apparere tam verisimile quam illud quod creditur verum.

Quomodo suum cuique opinatum sit probabilius.

Si jam colligas hæc tria capita in unum, videbis quo sensu revera *unicuique suum opinatum sit probabilius*, qua in re currit iterum paritas inter intellectum imperio voluntatis subjectum, et ipsam voluntatem, neque alio sensu quam sensu consequente exposito relate ad intellectum dicit Augustinus relate ad ipsam electionem voluntatis : « quod enim amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est » (1).

Præcluditur aditus alicui confusioni.

169. Ex dictis nonnisi per errorem et confusionem mentis quis concluderet posse intellectum de duobus contradictoriis simul opinari, aut aliquid esse et non esse probabilius oppositio secundum idem, simul judicare : nihil enim aliud ex dictis sequitur quam duo judicia de diversis apparentiis antecedente nempe et consequente ad affectum et assensum, quorum primum partem *A* probabiliorem, secundum vero partem *A* minus probabilem quam partem *B*, sed ex diversis apparentiis judicat, esse compossibilia. Verissimum tamen est hæc duo judicia rarissime conjungi : 1. Quia comparatio illa prior duarum contradictionis partium raro fit ante omnem affectum uni parti addictum. 2. Si vero aliquando ante illum affectum fiat, id fere non contingit nisi in speculativis, in quibus, cum sæpe non inveniat voluntas

Ex dictis non sequitur : posse intellectum aliquid probabilius et simul minus probabile esse secundum idem, judicare.

(1) *Exposit. in Epist. ad Galat.*, cap. V, n. 49. De hujus textus interpretatione vide Faure, *in Enchiridion S. Augustini*, ad cap. XV, Coroll. I, et ibid. nota (*a*) in edit. Neap. a. 1847.

speciale motivum inclinandi in alteram partem, communiter in partem probabiliorem inflectit intellectum, et si sint æquiprobabiles duæ partes, solet judicium suspendere. Quando autem de aliqua opinione enuntiamus, solemus id facere post totum discursum peractum, neque tam judicamus de apparentia qua inducti sumus ad credendum hanc partem, quam de apparentia qua nunc consideramus nos dispositos ad continuandum in præsenti opinione. Et ita idem est reputare opinionem ut nostram, et esse probabiliorem (1).

170. Hucusque quæsivimus quid absolute possit voluntatis imperium in intellectum relate ad assensum in objectum obscurum, præsertim vero probabile; nunc jam quærendum est quid *prudenter* fieri possit.

Propositio II. Qui sive in speculativis sive in practicis absolute assentitur parti etiam minus sed vere probabili, fine tantum intellectus spectato prudenter judicat, quamvis minus prudenter quam si partem probabiliorem amplecteretur; fine vero voluntatis spectato sæpe, omnibus consideratis, ex voluntatis imperio prudentius assensum præbet minus probabili.

Propositio II.

1. Prudens est assensus in partem etiam minus probabilem, fine intellectus spectato.

2. Idem valet, fine voluntatis spectato.

171. Pars I. 1° Evidenter consequitur ex ipsa notione probabilitatis : vidimus enim probabile merito dici, quod ita apparet verum ut *prudentem* possit movere assensum; ac porro explicavimus duas propositiones contradictorias posse simul esse probabiles, idque etiamsi una sit probabilior altera.

Probatur pars I.

2° Prætærea, sicut in electione proprii objecti sufficit voluntati ad prudenter agendum electio minoris boni, etiam ut talis cogniti, ita profecto sufficit determinare suo imperio intellectum ad minus probabilem, tum quia sic magis promovet bonum illius quam si eum ab omni judicio suspenderet, tum quia spe solida veritatis obtinendæ id facit; licet utique, sicut melior est electio majoris boni, ita, spectato

(1) Ex hisce intelliges non omnino accurate loqui Laymann, *De Conscientia*, cap. V, § II, n. 5; cui ex dictis respondebis.

fine intellectus prudentior est assensus in probabiliorem partem.

Probatur pars II.

Pars II. Si ex assensu intellectus in partem minus probabilem aliquod novum bonum majus voluntati proveniat, quod certe fieri potest, tunc omnibus consideratis prudentius talem assensum imperabit quam in partem antecedenter probabiliorem : prudentiam enim assensus metimur secundum quantitatem boni inde provenientis.

Dicta valent æque de practicis ac de speculativis.

172. Hæc autem æque valere de practicis ac de speculativis facile ostenditur. Fine enim intellectus spectato evidenter nulla ratio assignari potest discriminis : cum in practicis sicut in speculativis unicus sit eodemque modo se habeat finis intellectus. Fine vero voluntatis spectato, ubi in re morali agitur præcise de liceitate et honestate, nihil detrimenti patitur voluntas imperando assensum in partem minus probabilem : si enim ea minus tuta sit, adhuc tamen post imperatum assensum fruitur voluntas plena sua libertate ad tutiorem sequendam, quod potest esse opus consilii et majoris perfectionis. Plurimum vero auget bonum suum cum auferat a se obligationem sequendi partem tutiorem, atque ita caret periculo peccandi, cui subjaceret, imo sese exponeret si imperaret assensum in illam : quod maxime valet pro casu quo quis inveniretur in periculo, sive ex alieno mandato, sive propter propriam indigentiam, faciendi id quod probabilius est illicitum. Quod quomodo verum sit infra declarabimus. Diximus : ubi præcise de liceitate et honestate agitur; accurate enim distinguenda est probabilitas speculativa et practica, ne temere ab illa ad hanc transitus fiat, ut si quis diceret (et bene quidem) : prudenter opinor baptismum in pectore collatum esse validum; ergo (et male quidem diceret) : prudenter baptizabo in pectore, cum in capite possim. Sicut stulte ageret qui in via constitutus quæ probabiliter ducit ad mortem, probabilius non, procederet licet possit regredi aut viam tutam eligere.

Duplex quæstio connexa at non confundenda.

173. Insinuavimus supra, quæ hic tractavimus non esse omnino confundenda cum hac altera quæstione : utrum sit obligatio sequendi partem tutiorem aut probabiliorem, re-

licta minus tuta aut minus probabili. Et merito quidem : etsi enim daretur talis obligatio non ideo voluntas imprudenter imperaret dictum judicium, quia illo stante integrum esset voluntati sequi partem tutiorem et probabiliorem ut diximus, ergo nulla lex vetat tale judicium. Nec mirum : quoties enim judicium spectato fine intellectus est prudens, et ex alia parte nulli affert nocumentum, imo e contra soleat magnum afferre emolumentum, nulla lege prohiberi potest, quia talis lex esset imprudens et nociva. Est igitur hæc alia quæstio a priore diversa, solvenda autem est in sequente sectione II[a].

SECTIO POSTERIOR.

PRINCIPIA SOLUTIONIS IN DIVERSIS OCCURRENTIBUS DUBIIS.

Caput Primum.

DE JUDICIO RATIONIS PRACTICÆ EJUSQUE CERTITUDINE, IN ORDINE AD ACTUM MORALEM.

174. Utile duximus, primo hoc capite, principia quædam in sequente disputatione ante oculos habenda ex diversis locis ubi fuerunt exposita breviter recolligere, ita ut eadem uno conspectu exhibeamus, simulque hanc opportunitatem nacti auctoritate atque doctrina Doctoris potissimum Angelici confirmemus ac illustremus, necnon suppleamus quæ forte minus enucleata in præcedentibus fuerunt.

Cum eadem ratio humana secundum diversos respectus sit omnium operum humanorum principium primum (1) et eorumdem regula atque mensura (2) quamvis participata a

(1) S. Thomas, 1[a] 2[æ], Q. 58, a. 2, in corp.
(2) Ibid., Q. 90, a. 1. Cfr. Q. 19.

ratione divina seu dictamine legis æternæ; ut recte atque facile intelligantur quæ hic dicenda sunt, ante omnia duplicem ex S. Thoma ponimus rationis distinctionem, primam : in rationem superiorem et inferiorem (1); alteram : in rationem speculativam et practicam (2).

Distinctio in rationem superiorem et inferiorem.

Quoad utramque breviter explicat mentem S. Thomæ Sylvius (3)... « rationem superiorem et inferiorem non duas esse potentias, sed unam in quantum habet diversa officia. Ratio superior est ipsa potentia intellectus secundum quod intendit æternis conspiciendis, aut consulendis; sive quod contemplatur cœlestia et sempiterna, aut secundum se illa considerando, aut ex eis regulas agendorum accipiendo » (secundum primum speculativa dicitur, secundum alterum practica, ut statim videbimus). « Ratio inferior est eadem potentia secundum quod intendit temporalibus et caducis ».

Et in speculativam et practicam.

Similiter : « intellectum practicum et speculativum non esse diversas potentias : quia differunt per hoc, quod est ordinari ad opus vel non ordinari; quæ accidentaliter se habent ad objectum intellectus : differentiæ autem per accidens non diversificant potentias. Intellectus ergo practicus dicitur, qui hoc quod cognoscit, ordinat ad opus, ideoque considerat verum in quantum habet rationem boni amplectendi; et falsum in quantum habet rationem mali, estque propterea fugiendum. Speculativus autem dicitur, qui veritatem apprehensam non ordinat ad opus, sed versatur circa verum aut falsum quatenus talia sunt præcise, non aliud spectando quam ipsius veritatis cognitionem. Unde patet quod uterque in hoc conveniat quod est cognoscere veritatem, differant autem in fine; qui licet diversificare possit habitus, vel etiam potentias inferiores, non tamen potentiam superiorem, quæ communem objecti rationem respicit ».

Ultimum judicium de moralitate est rationis superioris, practicæ.

175. Ad rationem porro superiorem, ut practica est, pertinet ultimum judicium de actu morali, adeoque (prout ea intelligitur conjungi cum voluntate) consensus in actum,

(1) 1ª, Q. 79, a. 9; et QQ. disp. *de Verit.*, q. 15.
(2) 1ª, Q. 79, a. 11.
(3) In ll. cit. S. Thomæ.

qui ultimo occurrit in actibus humanis. Hoc dilucide exponit S. Thomas (1) : « consensus importat judicium quoddam de eo, in quod consentitur : sicut enim ratio speculativa judicat et sententiat de rebus intelligibilibus, ita ratio practica judicat et sententiat de agendis. Est autem considerandum, quod in omni judicio ultima sententia pertinet ad supremum judicatorium : sicut videmus in speculativis, quod ultima sententia de aliqua propositione datur per resolutionem ad prima principia, quamdiu enim remanet aliquod principium altius, adhuc per ipsum potest examinari id, de quo quæritur : unde adhuc est suspensum judicium, quasi nondum data finali sententia. Manifestum est autem, quod actus humani regulari possunt ex regula rationis humanæ, quæ sumitur ex rebus creatis, quas naturaliter homo cognoscit : et ulterius ex regula legis divinæ, ut supra dictum est, unde cum regula legis divinæ sit superior, consequens est ut ultima sententia per quam judicium finaliter terminatur, pertineat ad rationem superiorem quæ intendit rationibus æternis : cum autem de pluribus occurrit judicandum, finale judicium est de eo, quod ultimo occurrit. In actibus autem humanis ultimo occurrit ipse actus, præambulum autem est ipsa delectatio, quæ inducit ad actum, et ideo ad rationem superiorem proprie pertinet consensus in actum » [consentire est quidem appetitivæ virtutis actus, at non absolute sed consequens ad actum rationis deliberantis et judicantis (2)] « ad rationem vero inferiorem, quæ habet inferius judicium pertinet judicium præambulum, quod est de delectatione : quamvis etiam et de delectatione superior ratio judicare possit, quia quidquid judicio subditur inferioris, subditur etiam judicio superioris, sed non convertitur ».

176. Ut autem natura et indoles illius judicii ultimi rationis superioris practicæ rite intelligatur, utilissimum erit notare discrimen multiplex inter rationem speculativam et

Indoles dicti judicii declaratur ex variodiscrimine inter rationem speculativam et practicam.

(1) 1ª 2æ, Q. 74, a. 7, in corp.

(2) L. cit. ad 1m. Cæterum lege totum art., imo et integram quæstionem 74. Cum hac autem quæstione omnino conferenda est ejusdem 1æ 2æ quæstio 15ª. Utiliter consuli potest Sylvius in ll. cit.

practicam : sicut enim ratio generaliter accepta ita in specie ratio etiam superior speculativa est vel practica. Primum itaque fundamentale discrimen est ratione finis : « cum enim ratio », ait Sylvius (1), « quæ secundum essentiam est una, distinguatur in speculativam et practicam ; et speculativæ finis, sit rei cognitio ; practicæ autem operatio et humanorum actuum directio : a recta ratione practica pendet bonitas voluntatis, non necessario a recta ratione speculativa ; ut proinde ad bonitatem actus voluntatis requiratur quod sit conformis rectæ rationi practicæ, non autem quod sit conformis rectæ rationi speculativæ. Recta ratio speculativa est quæ apprehendit rem sicut existit ; nam, ut est apud Philosophum *ex eo quod res est, aut non est ratio vera vel falsa dicitur*. Practica autem ratio tunc dicitur recta, quando sequitur regulas ad rectam operationem dirigentes (2) ; sive quando ita judicat ac proponit, quo modo vir prudens hic et nunc faceret, attentis præsentibus circumstantiis. Atque hæc distinctio bene observanda est ; quia non raro contingit rationem practicam esse rectam, etiamsi speculativa sit erronea ».

Discrimen ratione finis.

Hoc sensu dicit S. Alphonsus semper distinguendum esse verum a licito. Qua in re fideliter sequitur doctrinam expositam Angelici Doctoris, qui alio etiam loco (3) eadem clare proponit : « Verum intellectus practici aliter accipitur, quam verum intellectus speculativi... nam verum intellectus speculativi accipitur per conformitatem intellectus ad rem... Verum autem intellectus practici accipitur per conformitatem ad appetitum rectum : quæ quidem conformitas in necessariis locum non habet, quæ voluntate hu-

(1) In 1m 2æ, Q. 19, a. 3. Cfr. eumdem in 2m 2æ, Q. 47, præsertim a. 4, *Quæritur II*. Hæc autem omnia sufficienter explicata habes supra in P. I, sect. II, præcipue cap. III : unde hic breviter uno conspectu intuenda resumimus.

(2) Et hanc differentiam ponit S. Thomas, 1a, Q. 79, a. 11, præs. ad 1m, quod speculativa ratio sit apprehensiva solum, practica vero sit etiam motiva, non quasi exequens motum, sed quasi dirigens ad motum.

(3) 1a 2æ, Q. 57, a. 5, ad 3m.

mana non fiunt, sed solum in contingentibus quæ possunt a nobis fieri et ideo circa sola contingentia ponitur virtus intellectus practici ». Addit Sylvius in h. l. : « speculativum proinde judicium potest esse falsum circa contingentia, practicum vero semper est verum, quotiescumque est conforme appetitui recto ». Et alibi (1) clarius explicat quomodo veritas practica cum errore speculativo conjungi possit, quod a nobis supra fusius explicatum fuit simulque ostensum quomodo hac in re non sit circulus vitiosus (2). En verba Sylvii : « Quamvis ergo contingat rem circa quam versatur prudentia, aliter se habere quam prudens existimet, non idcirco tamen judicium prudentiæ est falsum ; quia talis falsitas non est prudentiæ, sed est intellectus speculativi ; judicium autem prudentiæ est de re singulari, quæ omnibus circumstantiis diligenter consideratis, judicatur hic et nunc esse honesta et amplectenda, quod judicium propterea verum est, quia rebus ita spectatis, recto appetitui est consentaneum ».

177. Ita incidimus in aliud inter rationem practicam et speculativam discrimen : cum ratio practica judicet de singularibus et contingentibus in ordine ad actum hic et nunc ponendum, utitur ad concludendum syllogismo ex principiis etiam reflexis ut majore, cum minore qui sit actus experimentalis reflexus in statum mentis, modo supra exposito (3) ; ratio vero speculativa non considerans singularia et contingentia nisi sub ratione veri adeoque sub ratione universalis et necessarii sub hypothesi, puta : si ita fit, recte fit ; non utitur dicta reflexione, sed de ipsis principiis universalibus sive directis sive indirectis sive reflexis judicat, de conclusionibus autem seu de aliquo actu singulari non ut tali sed de omni simili, id est, sub ratione veri et universalis. Lege S. Thomam, 2^a $2^æ$, Q. 47, a. 3 ; coll. 1^a, Q. 86, aa. 1 et 3.

Discrimen ratione modi attingendi objectum.

178. Deducimur præterea ad novam differentiam cui aliquanto magis est immorandum. Differunt nempe ratio spe-

Discrimen ratione certitudinis.

(1) In 2^m $2^æ$, Q. 47, a. 4, *Quæritur II*,
(2) Parte I, sect. II, cap. 3, § II, ad II.
(3) Parte I, sect. II, cap. 3, § I, ad II.

culativa et practica ratione certitudinis. Quamvis enim S. Thomas pluribus in locis expresse doceat leges certas esse oportere, neminem præcepto ligari nisi mediante scientia illius, ut mox videbimus, hinc tamen minime sequitur eamdem in omni materia ab eo postulari certitudinem, seu ubique stricte dictam requiri. Ita cum sibi objecisset(1) : « Mensura debet esse certissima... sed dictamen humanæ rationis de rebus gerendis est incertum, secundum illud Sapientiæ 9 : Cogitationes mortalium timidæ et incertæ providentiæ nostræ, ergo ex ratione humana nulla lex procedere potest », (ergo etiam nullum dictamen legem applicans seu rationis practicæ generatim habet rationem mensuræ et regulæ defectu certitudinis). Respondet : « dicendum, quod ratio practica est circa operabilia, quæ sunt singularia et contingentia, non autem circa necessaria, sicut ratio speculativa, et ideo leges humanæ » (et omnia generatim dictamina rationis practicæ) « non possunt illam infallibilitatem habere, quam habent conclusiones demonstrativæ scientiarum. Nec oportet, quod omnis mensura sit omni modo infallibilis et certa, sed secundum quod est possibile in genere suo ». Hæc ita interpretatur Sylvius : « Observa istam majorem : *mensura debet esse certissima*, si sic intelligatur, quod omnis mensura debet omnino certa esse et infallibilis, esse falsam. Si autem ita intelligatur, vel quod debet esse certa secundum quod possibile est in genere suo; vel quod debet esse certior iis quæ mensurantur, sic est vera. Quamvis autem leges humanæ », (omniaque dictamina rationis practicæ) « cum versentur circa singularia et contingentia, quorum homo non potest (humanitus loquendo) habere certitudinem, non possint esse omnino certæ seu infallibiles; habent nihilominus aliquam certitudinem, qualis nimirum in eo genere potest ab homine haberi, et majorem, quam ipsæ res ».

Cfr. S. Thomam 1ª 2æ, Q. 94, a. 4, et interpretationem Sylvii; necnon 2ª 2æ, Q. 47, a. 3, ad 2m. In eamdem quæs-

(1) 1ª 2æ, Q. 91, a. 3, ad 3m.

tionem, *Quæritur II*, objicit Sylvius : « Si dicas, judicium prudentiæ semper esse incertum, eo quod versetur circa contingentia de quibus non est certitudo : unde Sap. 9 dicitur quod incertæ sunt nostræ providentiæ. Resp. neg. ass. Judicium enim prudentiæ proprium potest esse certum certitudine veritatis practicæ, quæ consistit in conformiter se habere appetitui recto : ac proinde quamvis prudens non semper possit esse certus an res ita se habeat, potest tamen moraliter certus esse, quod hæ actiones sint ei hic et nunc honestæ. Dicuntur autem incertæ nostræ providentiæ, tum propter incertitudinem eventus, tum propter multa nobis occulta. Porro quia prudentia versatur circa singularia, eaque contingentia ; ideo bene concedimus certitudinem prudentiæ non esse absolutam, et ejusmodi quæ excludat omnem vel dubitationem vel sollicitudinem : verum tanta certitudo non est illic quærenda, sed sufficit moralis » (i. e. late dicta).

Qualis certitudo in re morali sufficiat et requiratur.

Unde merito concludimus cum S. Thoma (1) : « Certitudo non est similiter quærenda in omnibus, sed in unaquaque materia secundum proprium modum. Quia vero materia prudentiæ sunt singularia contingentia, circa quæ sunt operationes humanæ, non potest certitudo prudentiæ tanta esse quod omnino sollicitudo tollatur ».

179. Quæ hic de indole illius certitudinis in re morali diximus nullatenus pugnant cum supra dictis : ultimum conscientiæ dictamen, reflexum nempe, semper certum esse ac evidens ; hic enim agimus de dictamine directo quod vel certum, vel probabile tantum, vel certum late dicta certitudine esse potest. Si porro certum sit, immediate fundat ejusdem rationis dictamen reflexum ; si probabile tantum seu directe fundans prudentem tantum opinionem, reducitur vel reflexe vel ex principio indirecto ut statim explicabimus ad certitudinem ; si certum sit certitudine illa morali late dicta, non tam reduci potest ad certitudinem quam potius eam exercite continet, sicut eo ipso quod de re morali agatur,

(1) 2ª 2æ, Q. 47, a. 9, ad 2m.

probabilitas maxima pro una parte, cui nihil alicujus momenti obstet in contrarium, æquivalet certitudini late dictæ et hoc est quod modo explicavimus : ratio etenim evidenter ostendit et invincibiliter inclinatur ad ita judicandum : dubium irrationabile deficiente motivo alicujus momenti ad dubitandum, esse negligendum in moralibus. Atqui ubi certitudo late dicta adest non datur locus nisi tali dubio ; ubi vero agitur de probabilitate pro una parte, at quæ per se et directe tanta non sit, nulla etiam obstante gravi ratione, ut censeatur supponere pro certitudine morali, pro certa etiam non habebitur nisi utraque pars antecedenter ad rationes probabiles pro una, æqualiter se habeat seu nulla sit in possessione (1).

Quorum certitudo requiratur, ex S. Thoma.

180. Hæc igitur est certitudo quæ in re morali requiritur et sufficit ut aliquod dictamen rationis practicæ fundet licitam operationem, sed etiam ut obligationem ponendi aut omittendi actum imponat. Supponit autem tale dictamen obligans parem saltem certitudinem legis seu regulæ objectivæ, quam applicet subjecto, fundando judicium reflexum ultimum conscientiæ certum et evidens ; ut supra indicavimus, infra autem amplius declarabimus. Sufficiat nunc verbis S. Thomæ utriusque certitudinis, legis nempe et ejusdem hic et nunc applicationis dictam necessitatem adstruere : ostendit S. Thomas legem nisi certa sit per promulgationem non esse applicabilem. Et iterum nisi de facto, quamvis promulgata, per scientiam subjecto applicetur, in actu secundo non ligare. Ad primum : « lex imponitur per modum regulæ et mensuræ ; regula autem et mensura imponitur per hoc quod applicatur his, quæ regulantur et mensurantur ; unde ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis » (non tantum ut in actu secundo liget) « oportet quod applicetur hominibus qui secundum eam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione » (2). Quod alterum vero spectat, ad quæstionem : Utrum

(1) Cfr. infra n. 271.

(2) 1ª 2æ, Q. 90, a. 4, in cor

conscientia liget (1). « Ita se habet », ait, « imperium alicujus gubernantis ad ligandum in rebus voluntariis illo modo ligationis qui voluntati accidere potest, sicut se habet actio corporis ad ligandum res corporales necessitate coactionis ; actio autem corporalis agentis numquam inducit necessitatem in rem aliam nisi per contactum coactionis ipsius ad rem in qua agit; unde nec ex imperio alicujus domini ligatur aliquis, nisi imperium attingat ipsum cui imperatur, attingit autem ipsum per scientiam; unde nullus ligatur per præceptum aliquod nisi mediante scientia illius præcepti. Et ideo ille, qui non est capax notitiæ, præcepto non ligatur ; nec aliquis ignorans præceptum Dei ligatur ad præceptum faciendum, nisi quatenus tenetur scire præceptum. Si autem non teneatur scire nec sciat, nullo modo ex præcepto ligatur. Sicut autem in corporalibus agens corporale non agit nisi per contactum, ita in spiritualibus præceptum non ligat nisi per scientiam ; et ideo sicut est eadem vis, qua tactus agit et qua virtus agentis agit, cum tactus non agat nisi ex virtute agentis, et virtus agentis nonnisi mediante tactu, ita eadem virtus est, qua præceptum ligat et qua conscientia ligat, cum præceptum non liget nisi per virtutem scientiæ, nec scientia nisi per virtutem præcepti. Unde cum conscientia nihil aliud sit quam applicatio notitiæ ad actum, constat quod conscientia ligare dicitur vi præcepti divini ».

Quid sit obligatio objectiva et subjectiva.

181. Hæc declaratione vix indigent, opportunissime tamen ad insequentem tractationem notamus cum Sylvio (2) distinctionem quæ a S. Thoma insinuatur quamque supra jam tetigimus, inter obligationem perfectam seu quoad plenum legis effectum, quam alii vocant obligationem in actu secundo, et obligationem imperfectam seu quoad aliquem effectum, quæ etiam dicitur obligatio in actu primo. Posterior hæc est effectus immediatus et formalis legis, quo fit

(1) *De Veritate*, Q. 17, a. 3, Cfr. 1ª, Q. 79, a. 13.

(2) In 1ᵐ 2ᵉ, Q. 90, a. 4, *Quæritur III;* et Q. 94, a. 4, *utrum lex nat. obliget in conscientia.*

ut quicumque a legislatore sub lege constituta comprehenditur, ea tenetur sive eam cognoscat sive ignoret, ita ut si contra eam agat inculpabiliter, *excusetur* tantum a culpa formali, sed materiale tamen in legem peccatum committat. Prior vero illa est effectus legis in quantum hæc ex integro applicatur per scientiam agenti, ita ut eam hoc modo i. e. scienter infringens, peccatum formale admittat, seu est eadem obligatio imperfecta transiens per notitiam in perfectam. Potest igitur hæc optime etiam vocari obligatio passiva et *subjectiva*, ut eam supra vocavimus (1), actu scilicet subjectum ligatum constituens, illa vero activa et *objectiva* quæ scilicet ex parte sua virtutem ligandi habet sed exspectat tamquam conditionem, applicationem subjecto per scientiam, ut actu liget.

Discrimen inter forum internum et forum externum, quoad obligationem.

182. Potest porro discrimen aliquod adverti quoad rem præsentem inter forum externum et forum conscientiæ. In hoc enim attenditur culpa non juridica seu nuda legis infractio, sed culpa theologica seu formale peccatum adeoque ignorantia invincibilis seu inculpabilis sive juris sive facti excusat tum a culpa tum a pœna; quod si id quod in pœnam statutum erat, ob commune bonum exigi possit, jam exuit naturam pœnæ proprie dictæ et est merum incommodum ob bonum commune tolerandum. Imo ignorantia vincibilis licet a culpa non excuset, hæc tamen minor esse potest; et licet non excuset a pœna proportionata culpæ, qui tamen novit legem, ignorat autem pœnam, hanc non incurrit si non sit proportionata peccato commisso; item, si sit censura vel si voluerit legislator eam incurri tantum a peccantibus scienter, temere, consulto, cum præsumptione, nisi ignorantia sit crassa. In lege irritante, si irritatio sit statuta in pœnam, vel partim in pœnam, idem valet ex integro vel ex parte, quod de pœna diximus; si non sit statuta in pœnam, non requirit ad effectum irritandi, scientiam, cum effectus legis in actu primo seu obligatio objectiva ex se adsit independenter a notitia subjecti, effectus

(1) N. 56, n. 62.

autem qui non est inducere culpam formalem et pœnam constet absque transitu obligationis objectivæ in subjectivam, seu applicatione per notitiam; culpa enim formalis non concipitur in ignorante, sed actum quem ignorans ponit irritum esse absque scientia nullo modo repugnat.

In foro vero externo, ita exigente recto ordine, juridica potissimum culpa consideratur, et præsumptionibus nitendum est, cum interna non cognoscat nec de eis judicet forum externum. Idcirco in foro externo : « ignorantia facti non juris excusat. » Regula 13 juris in VI. Unde si tempus moraliter requisitum ut lex promulgata in notitiam communitatis deveniat, fuerit elapsum, scientia præsumitur, eaque præsumptio juris est et de jure, ita ut nemo ad probandam juris ignorantiam admittatur, nisi ea ex aliquo facto indirecte probari queat. Nec obstat regula 47 juris in VI : « Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur », cum hic unice sermo sit de scientia facti, et quidem talis quod quis scire non tenetur. Si contra tempus illud post promulgationem requisitum nondum fuerit elapsum, ignorantia ut certa habetur, ita ut quis casu legem promulgatam noscens non teneatur eam servare. Hæc in foro externo. Regulæ autem fori interni tunc tantum in foro externo usui erunt, quando ex adjunctis facti probatur absentia aut levitas nimia culpæ theologicæ quam ut lex in rigore applicetur.

Discrimen quoad utramque obligationem inter legem naturæ et positivam, ex diversa indole utriusque legis.

183. Potest ulterius quoad duplicem illam obligationem objectivam et subjectivam, discrimen haud minimi momenti adverti inter legem naturæ et legem positivam, quod discrimen fundatur in ipsa diversa natura et modo diverso promulgationis utriusque legis (1). Lex positiva promulgatur per actum transeuntem legislatoris manifestantem voluntatem ipsius communitati, adeoque rationi quidem subditorum non tamen per rationem ipsorum ut præconem. Posita illa promulgatione, post tempus moraliter requisitum ut lex in notitiam communitatis deveniat, exurgit statim obligatio objectiva, quæ deinde pro unoquoque subdito transit in sub-

Diversus modus promulgationis utriusque legis.

(1) Vide supra : Parte I, sect. II, cap. 1; cap. 2, § II, in fine; cap. 3, § I, II, 3.

jectivam per scientiam ejus propriam legis. Lex vero naturalis non actu transeunte, verbis aut formulis sed per ipsam rationem naturalem promulgatur. Exurgit itaque obligatio objectiva generalis statim respectu omnium qui participant naturam rationalem. Ratio deinde individua cujusque de facto legem cognoscens applicat obligationem et in subjectivam convertit.

Quomodo ratio sit legis naturæ præco.

184. Ratio autem quæ dicitur legem naturæ promulgare in singulis, intelligitur ratio recta, non errans, quæ si dubitat inquirit, adeoque elicit dictamen commune rationis humanæ. Ratio vero quæ dicitur ut individua applicare legem, intelligitur potius, ut in singulis est obnoxia errori, quæque juris conclusiones per rationem rectam promulgatas potest ignorare, de iis dubitare, vel etiam circa easdem multo vero magis circa facta inducentia obligationem errare, quo casu dictamen reflexum, attento illo mentis statu, de qua re statim dicemus, applicat. Potest porro contingere in aliquo statu generis humani, rationi etiam communiter hic et nunc non esse certo cognoscibile aliquid remotius pertinens ad jus naturæ, quod tamen cognosceretur si vires rationis in alio statu, in tota nempe perfectione et extensione quæ naturaliter est possibilis, accipiantur. Tunc autem idem valet ac in lege positiva de qua non constat, quamvis de hac frequentius idem contingat, quia non ex rationibus sed ex facto deduci debet quid sit præceptum aut prohibitum positive: idem, dicimus, valet : lex enim naturæ sicut lex positiva non est sine promulgatione, neque Deus vult aliquid hac in re ab homine servari nisi in quantum manifestat recta ratio.

1m Discrimen: Non eadem dubia exurgunt circa utramque legem, quoad obligationem.

185. Hoc tamen inter utramque legem intercedit discrimen quod circa legem positivam quæ verbis exprimitur possit dubium publicum oriri de sensu legis, de ejusque comprehensione et extensione, etiamsi constet aliquam legem vere existere, quod dubium debeat tolli vel promulgatione nova vel simplici declaratione authentica pro diversis adjunctis, ut possit exurgere obligatio objectiva aut saltem transire in subjectivam, de quibus erat dubium; ut infra declarabimus.

In lege vero naturæ, non contingit dubium publicum nisi modo statim exposito. Ad rem Terillus (1) : « Notandum quod homines condentes leges, utantur vocibus habentibus significationem communem, per quas exprimunt conceptus suos præcisivos et imperfectos, quibus sub notione universali tendunt tam in objecta quam in personas legibus obstrictas. Unde fit ut sensus verborum sæpe plura includat, quam legislator voluerat comprehendi. At Deus nullas in suis legibus præcisiones aut confusiones admittit ».

186. Est præterea aliud discrimen. In lege naturæ, ut dictum est, non certæ voces et formulæ generales aut speciales diversa dictamina proponunt, sed ipsa recta ratio ex primis principiis practicis evidentibus deducit diversa juris dictamina, et hac ratione dicitur promulgare legem naturæ, deinde eadem in particularibus casibus applicat ad agibilia. Sicut autem in remotioribus conclusionibus potest ratio deficere a rectitudine, ita multo magis in applicatione illa facienda. Defectus autem ille physicus est, inhærens naturæ humanæ, et a Deo permittitur ; neque Deus absolute vult quod a natura exigitur fieri, aut ei dissentaneum est refugi, sed quod ut bonum a ratione apprehenditur hoc vult, et quod ut malum apprehenditur hoc prohibet. Cum tamen ex directa intentione Deus velit rationem recte judicare (ut per se fit) de bono et de malo quod est materia legis naturæ, et permittit tantum defectum rectitudinis (qui est per accidens), merito exprimitur lex naturæ dictamine directo et per se : bonum est faciendum, malum fugiendum ; quamquam omnibus consideratis solum dictamen reflexum et per accidens est universale : quod ut bonum apprehenditur est faciendum, quod ut malum apprehenditur est fugiendum. Valet enim etiam ubi ratio errat in applicatione legis directæ, imo ubi tamquam legem naturæ quid sibi erronee fingit, dum tamen jus naturæ nequaquam promulgat, aut e contra putat non esse ubi revera existit.

In lege naturæ distinguitur dictamen directum et dictamen reflexum nostro concipiendi modo.

187. Hisce positis, facile declarabitur hoc alterum discri-

Inde 2am discrimen quoad obligationem inter utramque legem.

(1) Op. cit., Q. XXVIII, n. 13.

men quoad obligationem objectivam et subjectivam inter utramque legem naturalem et positivam.

Sit 1° aliquis errans circa jus. Putet quis, v. gr. se debere celebrare non jejunum, ut viaticum ministret moribundo; et putet se debere occidere virum qui impedit ne ad moribundum accedat, videbimus discrimen in utroque casu. In primo : nulla est obligatio objectiva celebrandi, e contra est obligatio abstinendi a celebratione, *vi legis positivæ;* est tamen obligatio subjectiva celebrandi, ita ut formaliter peccet, si non celebret; obligationi autem subjectivæ necessario supponitur aliqua objectiva, quæ hic alia non est nisi ex legis naturæ dictamine reflexo : qui apprehendit aliquid ut bonum faciendum, illud facere debet. Si igitur omittat celebrationem, nullum peccatum ne materiale quidem in legem positivam committit, sed formaliter peccat contra jus naturæ, adeoque et materialiter, non hoc sensu quod aliqua directa obligatio sit ex jure naturæ a recta ratione intimata et ut talis cognita seu applicata per scientiam, sed posito errore quo aliquid ut bonum faciendum apprehenditur, exurgit dictamen reflexum legis naturæ a recta ratione intimatum, et hic et nunc implicite in ipso errore quo illud ut bonum faciendum apprehenditur cognitum et applicatum. In altero casu : subsistit obligatio subjectiva occidendi, quæ esse non potest sine fundamento objectivo, hoc autem non potest nisi ex jure naturæ oriri. Si non occidat peccat formaliter, ergo et materialiter eo peccato materiali quod formali ut fundamentum respondet. Et tamen occisio illa ab omnibus diceretur materialiter mala. Videretur igitur dicendum peccatum materiale committi sive occidat sive non : et Deum lege naturæ præcipere aliquem actum et simul prohibere. Atvero peccatum materiale est æquivocum, sicut et obligatio objectiva potest esse directa vel reflexa, et actus præcipi et prohiberi pro diversis adjunctis. Ut res intelligatur considerandum est : nos, pro modulo rationis nostræ, quæ directe singularia non cognoscit et infinitatem singularium non potest comprehendere, abstrahere ab adjunctis in singularibus casibus ut ad aliquod dictamen uni-

versale rationis legisque naturæ singularia reducamus, unde ex parte nostra merito concipimus et dicimus peccari materialiter in legem naturæ, ubi quis ex errore putat quid debitum quod injustum est secundam rectam rationem, illudque ut justum et debitum apprehensum exequitur ex vero præcepto legis naturæ reflexo, posito scilicet tali errore in mente agentis, contra prohibitionem tamen, quam nos concipimus existere, si præscindimus a statu mentis agentis; sicuti omni modo verum est in lege positiva, quæ ex ratione illa humana cujus naturam descripsimus, fluens, revera non de singularibus sed abstracte et præcisive loquitur, peccatum materiale committi in ipsam, si quovis modo etiam ex ignorantia infringatur de facto.

Sed ex parte Dei, qui non cognoscit universalia sed singularia infinita, adeoque decreto et lege sua attingit singularia quævis, melius dicitur actum qui hic et nunc sine peccato formali ponitur, nullo umquam modo fuisse prohibitum, quamvis si actus ille dissentaneus sit a ratione recta, fuisset a Deo prohibitus si agenti ut talis innotuisset.

In casu itaque non tam violatur lex naturæ quam potius aliter enuntiatur seu mutatis adjunctis, id est, posito errore in mente agentis ad aliud obligat quam abstrahendo ab illo obligaret, non quidem mutata lege et natura sed immutabili lege naturæ diversa dictante pro diversis adjunctis.

2° Si agatur de applicatione legis et invincibili errore facti, idem dicendum est ac de errore juris privato (1).

3° In casu vero erroris seu potius dubii *publici* circa jus naturæ, tunc non adest proprie dicta obligatio objectiva, nec illa quidem quæ concipitur adesse quando innotescere in præsenti statu potest dictamen directum naturæ sed alicui non innotescit. Qua de re infra suo loco (2).

188. Unde, ut concludamus : sumendo legem naturalem sub formali sua ratione qua est *imperium divinæ voluntatis* consequens ad divinam omniscientiam, videntem quæ sin-

(1) Cfr. infra, n. 229.
(2) Num. 228.

gulis in singulis adjunctis secundum naturam suam omnibus inspectis adeoque attento statu mentis singulorum conveniunt vel disconveniunt, ut reipsa sese habet ex parte Dei, non est locus peccato materiali, et obligationi objectivæ eodem modo sicut ei locus est ubi de lege positiva agitur. Nostro vero concipiendi modo, in hoc fundato quod omnia singularia non possumus cognoscere, imo neque directe singularia mente apprehendimus, sed ab universalibus principiis ad singularia procedimus, et secundum quem modum feruntur leges positivæ, consideramus divinam voluntatem relate ad materiam legis naturalis seu ad ea quæ sunt consona naturæ aut ab ea dissona, sub diversis quas fingimus hypothesibus, secundum diversam extensionem cognitionis quam habere possumus de illa materia. Et ita dicimus esse tantum materiam legis, non ipsam formaliter legem, quod objective consentaneum est aut dissentaneum a natura, sed a ratione recta hoc in statu non est cognoscibile ut bonum amplectendum aut malum fugiendum; quia voluntas Dei necessario approbans illud bonum, et malum prohibens, non est promulgata nec Deus formaliter imperat, quia non vult imperare nisi promulgante ratione recta; adeoque quod hoc sensu contra materiam legis naturæ committitur non esse peccatum materiale nisi sensu remoto, seu philosophicum cui non potest peccatum formale respondere. Contra, in casu erroris privati dicimus voluntatem Dei esse promulgatam et obligationem objectivam existere, quamvis non transeat in subjectivam quoad errantem aut ignorantem : adeoque culpæ materiali locum esse, cui ablato errore formalis culpa responderet.

Quo sensu locus sit peccato materiali contra jus naturæ, quo sensu non.

Et hoc quidem recte dicitur ex similitudine cum lege positiva et ex modo concipiendi nostro seu ex parte nostra qui revera leges prius ut universalia principia cognoscimus, quæ deinde ad singularia applicamus, ratione enim prius est ex parte nostra imperium Dei existere quam illud cognosci, sed ex parte Dei ita non est : cum Deus omnes actus determinatos cum omnibus adjunctis et statu mentis recto aut erroneo agentis cognoscat et deinde actum illum præs-

cribat aut prohibeat, adeoque prius sit cognoscere modum quo agens apprehendit agibile quam illud formaliter imperare aut proscribere.

189. Sed de his satis. Jam transeamus ad peculiarem hypothesim, quæ præcipuum constituit præsentis instituti intentum : ubi nempe directe perveniri non potest ad dictamen rationis certum, sed alicujus speciei dubium menti inhæreat.

Caput Secundum.

DE MODO SOLVENDI DUBII.

190. Ut principia solvendi dubii distincte exponantur atque demonstrentur, distinguimus, brevi præmissa observatione de dubio irrationabili, triplicem dubiorum classem quæ communi principio solvenda dubia singulæ contineant : primam, ubi agitur de dubiis quorum objectum diversum est a liceitate actionis hic et nunc ponendæ; secundam, quæ continet dubia de liceitate præcise, non pertingentia ad probabilitatem; tertiam, quæ complectitur casus probabilitatis de liceitate actionis hic et nunc ponendæ.

§ I. *De dubio irrationabili.*

191. Verbulum tantum habere volumus de dubio irrationabili, quod tunc contingit, cum quis suspensus hæret non ob motiva seria dubitandi, vel insufficientiam motivorum assentiendi alterutri parti, aut cum alteri parti assentitur cum formidine propter veram inevidentiam, sed motiva dubitandi sibi fingit aut plus æquo eisdem inhæret, et ita ubi res certa est ea certitudine quæ in re de qua agitur requiritur et sufficit, irrationabiliter suspendit assensum ; verbo, cum quis dubitat vel formidat ubi sapiens et probus exclu-

Quid sit dubium irrationabile.

deret formidinem. Ea hæsitatio scrupulis vexatis propria est : status enim ille scrupulosi nihil aliud est quam scepticismus quidam, ut ita dicam, universalis sive in omni sive in determinata materia morali, quo taliter affectus nec sibi nec aliis credit sed de omnibus anxie dubitat, sive de præterito a se præstitis, sive de futuro præstandis, et ita etiamsi doctus sit plane ineptus fit seipsum in re ad conscientiam spectante dirigendi. Unde remedium practicum princeps, imo unicum, est oratio et obedientia. Ad hoc reliqua omnia sunt dirigenda, ut illuminante ac opitulante Deo, modo cæco obedientia præstetur sapienti pioque directori. Scientifice autem loquendo, dubium ex causa irrationabiliter vexante conscientiam eo ipso contemnendum est ac deponendum, perpensa causæ insufficientia. Dubium autem formaliter deponitur per judicium ipsum quo quis judicat se aut non debere attendere ad causam imprudenter dubitandi, aut posse hic et nunc tuta conscientia operari pro libito, non obstante causa irrationabili dubitandi. Omnia enim istiusmodi judicia excludunt ultimum conscientiæ dictamen quod necessario sequitur ex dubio non deposito, quodque obligat ad sectandam partem tutiorem, adeoque tollunt hanc obligationem. Porro judicia hæc quibus dubium prudenter deponitur sunt ultima conscientiæ dictamina evidenter vera, quæ deducuntur ex aliquo principio universali synteresis reflexo ut majore, cum minore experimentali quæ reflectit supra statum objecti in mente, vel etiam exercite continentur sub judicio directo certo certitudine late dicta, quod utrumque supra explicavimus.

Invenitur in scrupulosis.

Remedia practica.

Scientifice loquendo est simpliciter contemnendum et hoc ipso resolvitur.

192. Præterea notandum est cum Terillo (1) : « quod refundit bonitatem vel malitiam in actum deliberatum voluntatis, non est apprehensio prævia, sed absolutum judicium, a quo solo actus deliberatus rationem voluntarii desumit, ut est in confesso apud omnes; tum quia alioquin scrupulosi, qui vexantur apprehensionibus Dei offensam præ se ferentibus, semper peccarent; tum quia ratio pleni voluntarii non su-

Apprehensiones prævias non refundunt moralitatem in actum deliberatum, sed absolutum judicium.

(1) Op. cit., Q. XXVIII, n. 15.

mitur nisi ab objecto per judicium proposito; nam sicut motus primo primi, utpote actus imperfecti et indeliberati, necessario consequuntur ad apprehensiones, ita motus liberi deliberati, utpote actus perfecti voluntatis non consequuntur nisi ad judicia, quibus, utpote actibus mentis perfectis honestas vel inhonestas objecti complete, et juxta conditionem humanam perfecte proponitur » (1).

§ II. *De omni incertitudine speculativa, seu dubiis quæ non versantur circa liceitatem præcise, actionis hic et nunc ponendæ.*

193. In omnibus quæ sequuntur observandum est nos sermonem non facere de dubio mere subjectivo, sed de dubio publico tantum, aut saltem de dubio suo modo objectivo atque apto reduci ad publicum, ut supra explicatum est, ita nimirum ut si publicum non sit, esset tamen commune omni sapienti et probo viro qui in eisdem adjunctis de re judicaret. *De dubio mere subjectivo non agitur.*

194. Quando itaque objectum de quo dubitatur aut saltem remanet vera aliqua formido ne non sit, diversum est a liceitate actionis hic et nunc ponendæ, seu est moralitas materialis actionis alicujus, aut remotius : existentia facti, qualitas rei, valor actus, aptitudo seu efficacia alicujus operationis ad finem attingendum, tunc potest res dupliciter sese habere : ita ut ex illis enumeratis objectis aut nullatenus pendeat alicujus insequentis actionis liceitas, vel saltem mente abstrahatur ab hac insequente actione; aut contra, reipsa pendeat ab existentia et veritate vel non existentia prioris objecti dubii, liceitas actionis hic et nunc ponendæ aut omittendæ. *De cujus objecti dubio hic sit sermo.*

Si non sit talis connexio, ut cum agitur ex. gr. de lucranda absque ulla obligatione aliqua indulgentia, tunc *Si nulla sit connexio hujus objecti cum liceitate actionis insequentis.*

(1) Amplam ac sapientem hujus argumenti de deponendis scrupulis tractationem invenire est apud Jos. Rossell, Ord. Carthus., *Tract. sive Praxis deponendi conscientiam in dubiis et scrupulis*. Bruxell. 1661. Et apud auctores ibidem citatos, præsertim cc. 10-34.

unusquisque in dubio quovis utrum opus determinatum aut determinato modo requiratur aut sufficiat ad lucrandam indulgentiam, agit quidem pro libitu absque peccato; si vero velit certo lucrari, tutiorem partem sequi debet : non enim ex quorumvis opinione sed ex positiva voluntate concedentis pendet concessio indulgentiæ et conditiones ad eam requisitæ, neque probabilis doctrina auctorum securitatem hac in re confert, nisi in quantum constet concedentem indulgentias consentire ut a se requisita secundum probabiles opiniones auctorum efficaciam habeant (1).

Si adsit illa connexio remotius in dubiis facti.

195. Si vero adsit illa connexio et quidem remotius 1° in dubiis de existentia facti : an factum positum fuerit vel conditio adsit necne, quæ obligationem inducant aut extinguant, an sit homo vel fera illud in quod arma verto; 2° de rei qualitate, an opus sit servile; 3° de valore actus : an actus talem conditionem requirat ad valorem, in hypothesi quod actus sit ponendus vel si ponatur valide ponendus; 4° similiter de operationis efficacia ad certum finem qui ponatur esse ex obligatione attingendus. In his omnibus, quousque manemus in dubio de objectis indicatis præcise, nihil refert dubitatio vel opinio, seu defectus scientiæ, etiam insuperabiles a quocumque sapiente in hisce adjunctis, cum aliquid hujusmodi esse aut non esse objective nequeat a mentis dispositione pendere, ejusque scientia aut defectu scientiæ : sed vel ex natura rei, vel ex positiva ordinatione, vel ex facto ipso. Quod enim ubi de obligatione agitur, ad subjecti scientiam aut defectum scientiæ sit attendendum, id ex ipsa natura obligationis oritur quæ etiam ut objectiva tantum nequit concipi sine cognoscibilitate relate ad subjectum, ut subjectiva nequit esse sine actuali cognitione.

Imo et proxima in dubiis juris, videndum est an dubia speculativa transeant in practica.

196. Imo si adsit illa connexio propius : in dubio de liceitate vel honestate fundamentali et materiali actionis sive generatim et abstracte, sive hujus determinatæ sed nondum consideratæ ut hic et nunc ponendæ; seu in dubio,

(1) Cfr. in S. Thomæ *Supplem.*, Q. 27, a. 3, Sylvius; Lessius, *Prælect. Posthum.* etc., in eumdem loc.; Suarez, in *Suppl.*, dist. 52, sect. 5, n. 1; Summistæ, v. *Indulgentia*.

quod materiam legis naturæ attinet, utrum actio aliqua sit conveniens an vero dissentanea a natura rationali; quod legem positivam spectat, utrum sit actio illa prohibita aut præcepta annon : considerato iterum objecto dubii præcise, et per se, non pendet ab æstimatione rationis utrum sit vel non; quamquam in hoc dubio, a defectu certitudinis pendet quod aliquid non cadat sub formali imperio legis naturæ, et in lege positiva saltem indirecte defectus ille certitudinis arguit defectum promulgationis adeoque obligationis. Ideo diximus connexionem esse arctiorem in hoc dubio juris. Utraque tamen connexio talis non est ut ex priori dubio statim sequatur eodem modo dubiam esse liceitatem aut obligationem insequentis actionis, *ut hic et nunc ponendæ*. Nam ex. gr. in hoc ratiocinio : si illud quod latet in dumeto est fera, possum occidere. At probabile est esse feram. Ergo probabile est me illud hic et nunc posse occidere. Conclusio non potest sumi absolute sed sensu restricto qua præcise est conclusio, hoc modo : ergo ex hac parte probabile est, non ideo tamen absolute et omnibus inspectis seu practice est probabile me posse occidere hic et nunc. Similiter quoad dubium juris : si actio aliqua non est dissentanea a natura, *ex hac parte* licet. Atqui etc. Vel : si actio non est prohibita lege positiva, licet vi præcise illius defectus legis prohibentis. Si nimirum dubium cadit in legem naturæ, aut aliquam legem positivam, nondum ideo est practice dubium de actione hic et nunc ponenda, sed oportet omnia inspicere quæ ad hanc actionem obligare aut ejus omissionem præcipere possunt. Unde hucusque manemus in dubio speculativo, in remotiori connexione est dubium speculativum facti, in altera dubium speculativum juris. Primum itaque est, in ordine ad judicandum de liceitate actionis insequentis, quæ aliquo modo pendeat a priori objecto de quo est dubium speculativum, ut inquiramus an dubium hoc speculativum, sive probabile sit sive non pertingat ad probabilitatem, fundet simile dubium de liceitate actionis connexæ, *ut est hic et nunc ponenda*, aliis verbis utrum dubium speculativum transeat in dubium practicum, an vero manente dubio mere

speculativo simul sit aliquod imperium certum sive legis naturæ sive legis positivæ fundans certitudinem practicam de obligatione ponendi vel omittendi hanc præsentem actionem.

1° In dubio probabili ordinarie speculativæ probabilitati respondet probabilitas practica.

197. Jamvero 1° quod probabilitatem attinet : sicut certitudini speculativæ respondet certitudo practica, ita probabilitati speculativæ ordinarie respondet probabilitas practica. Ita si probabile sit me legem implevisse, similiter probabile erit eam non esse amplius implendam. Eodem modo in dubio juris speculativo : si probabile sit aliquam actionem lege non præcipi, per se probabile erit me hic et nunc non teneri eam ponere. Dixi *ordinarie* quia contrarium obtinere potest tum in dubio speculativo juris, tum præsertim in dubio facti. In dubio juris id contingit in concursu plurium diversarum legum, cum v. gr. probabiliter aliqua lex non urget, sed simul nova obligatio ex alia lege aut judicis sententia, aut mandato superioris apparet, quo posito, quamvis illa probabilitas per se transiret in probabilitatem practicam, nunc tamen non fit hic et nunc probabile actionem undequaque licere, quia alia obligatio certa concurrit. In hoc autem nulla difficultas. Præterea in dubiis facti idem continget quotiescumque agetur de attingendo per actionem fine aliquo, qui vel absolute vel ex positiva ordinatione est attingendus, adeptio autem ejus nullatenus pendet a dubio aut opinione etiam publica, aut bona fide agentis.

Sed contrarium obtinet aliquando.

Quando id fiat in dubio juris.

Quando in dubio facti.

2° In dubiis negativis eadem obstant ne in practica transeant et præterea aliud.

198. 2° Quod spectat dubium non pertingens ad probabilitatem, eadem allata obstant quin dubium speculativum in practicum transeat, sed præterea ex natura rei aliud impedimentum est, quo fit ut dici nequeat eodem modo ac de probabilitate, ordinarie transire dubium speculativum in practicum. Discrimen autem istud facile intelligitur : cum contradictorium illius quod probabile est non possit esse certum, obligatio ex probabilitate speculativa, si nihil aliunde obstat eorum quæ diximus, eo ipso infirmatur seu non remanet certa sed probabilis, adeoque probabilitas practica adest; in dubio vero negativo, quocum consistere potest certitudo contradictorii, certitudo esse potest practice

remanente dubio speculativo, etiamsi nihil aliunde obstet ex iis quæ diximus.

199. Hic tantum intendimus generaliter ostendere quomodo dubia speculativa non semper transeant in dubia practica, eo vel magis quod in parte tertia de applicatione principiorum ad praxim agetur; ut tamen res melius intelligatur ad quædam particularia descendamus: sicut in dubio juris ita in dubio facti oritur illa necessitas vel obligatio finis attingendi ex aliqua lege naturæ charitatis, justitiæ, religionis, vel ex mandato, et lege positiva, vel ex voto. *Hæc applicantur in particulari.*

200. 1° Lex charitatis aliquando prohibet non tantum inferre damnum nobis ipsis vel proximo sed etiam nos exponere periculo tale damnum inferendi. Quo casu, ut patet, quamvis dubium sit an actio aut ejus omissio sit damnum illatura, imo probabile sit non illaturam, non est *ideo* dubium aut probabile hic et nunc illam actionem posse fieri vel omitti. *1° Quomodo obstet aliquando charitas.*

201. 2° Idem dicas in materia justitiæ *a)* commutativæ, quæ si prohibeat ne periculo exponas proximum injuriam patiendi ex aliquo actu tuo, non sufficit etiam probabilitas actum illum non esse læsivum juris, ut sit practice probabile te non debere illum omittere. Ita qui contractu vel quasi-contractu obligatur ad adhibenda media tutiora ad salutem proximi, illi, quantumvis sit probabile aliquod medium conferre ad salutem proximi, non erit practice probabile posse illud adhiberi nisi aliud deficiat efficacius et tutius (1). *2° Justitia a) commutativa.*

b) Pariter in justitiæ legalis materia, licet dubium sit aut probabilitas de injustitia præcepti, non *ideo* practice dubitandum erit de obedientia, aut probabile erit non esse obediendum (2). *b) Legalis.*

(1) Ita de medico et chirurgo; vide Laymann, lib. 1, tract. I, cap. V, n. 15. Huc pariter spectant dubia de jure proprietatis (ibidem, nn. 21 et 22). Etsi enim forte, imo probabiliter res ad me pertineat, non inde dubie aut probabiliter licet a possessore eam auferre.

(2) V. partem 3ᵐ hujus Diss. in dubiis circa materiam præceptam, nn. 275 sqq.

c) Distributiva.

c) Quod spectat justitiam distributivam, certum est officium judicis in causis civilibus ferendi sententiam pro parte probabiliore : quo spectat propositio 2ª inter damnatas ab Innocentio XI, 2ª Martii 1679 : « Probabiliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem »; in causis vero criminalibus pro parte quæ favet reo, quousque non pervenitur ad certitudinem sufficientem culpæ. Huc pertinent adagia : « Quilibet præsumitur bonus nisi probetur malus ». « In dubio favendum est reo ». « Factum non præsumitur nisi probetur » (1).

2° Religio.

202. Similiter 3° quando agitur de sacramentis ministrandis, et suscipiendis, sedulo oportet distinguere probabilitatem et dubium speculativum circa sacramenti valorem, a practicis circa liceitatem hic et nunc ministrandi aut suscipiendi hoc vel illo modo sacramentum, sicut generatim ubi agitur de obligatione ponendi actum validum, aut si ponere velis, cum determinatis conditionibus validitatis ponendi, illa sunt distinguenda. Hoc autem paulo fusius prosequi utilissimum erit. Dicimus itaque *a)* in conficiendis sacramentis, extra casus quosdam necessitatis certo non licere (neque adeo probabile esse licere aut dubium annon liceat) eo modo illa ministrare quo incertum est an valeant, etiamsi probabilius sit valere, nisi in iis in quibus, posita probabilitate, supplere potest et supplet Ecclesia, ita ut non jam probabilis sed certus fiat valor. Huc spectat propositio 1ª inter easdem damnatas ab Innocentio XI : « Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis sacerdotalis vel episcopalis ».

a) Ubi agitur de conficiendis sacramentis.

Ante damnatam hanc propositionem non uno modo loquebantur auctores, quorum plures generatim licere usum pro-

(1) Hæc tantum in exemplum. Qui doctrinam integram de officio judicis in rebus incertis accipere cupit, legat Terillum, op. cit., Q. XXIV, ass. 2-6; et Laymann, lib. 1, tract. 1, cap. V, n. 16; coll. Ballerini, ad Gury, (edit. 1874) *de stat. part.* n. 1, nota (e).

babilitatis in administrandis sacramentis dicebant, cum limitationibus tamen ex usu et lege Ecclesiæ atque obligatione charitatis desumptis, non tamen ex obligatione religionis : ita ut Vasquez (1) ex eo quod in necessitate liceat exponere sacramentum nullitati ubi materia certa deest, concludat numquam esse sacrilegium cum dubio de valore sacramentum conficere ; quamvis perperam, cum certe possit esse generalis obligatio religionis quæ in certis adjunctis, in conflictu cum obligatione charitatis cesset et huic cedere debeat, cum sacramenta sint propter homines. Sanchez (2) probabilius existimat licere uti in administrandis sacramentis opinione minus probabili omissa probabiliore et tuta cum duplici limitatione : 1° ut sit in re quæ non est contra communem Ecclesiæ usum, præscribentem ut eo modo non alio administretur sacramentum ; non ex defectu opinionis, ut alibi dicit (3), et ratione periculi et irreverentiæ sacramenti, sed quia contravenitur Ecclesiæ consuetudini, quæ vim præcepti habet; 2° ne minus tuta deroget obligationi charitatis et misericordiæ. Ratio, quia nec periculum irritationis nec irreverentia culpam inducit sed charitas postulat, si possit fieri, ut sequatur minister tutam opinionem etiam minus probabilem ex parte eorum quæ ab ipso sunt exhibenda, non ita ex parte recipientium; et citat inter alios Vasquez, ut supra, et Sayro, *Clav. reg.* l. 1, c. 7; quibus addit ipse Laymann (4) Salon. $2^{æ}$ $2^{æ}$, disp. 63, c. 4, sed deinde sapienter prosequitur idem Laymann : « sed non placet hæc sententia cum infirmo fundamento nixa sit. Tametsi enim sententia affirmans materiam atque formam ad valorem sacramenti sufficientem esse, in scholis probabilis censeatur; tamen cum ea probabilitas mere speculativa sit, nihil omnino dictat de operando vel non operando; sed restat adhuc quæstio practica : utrum liceat in tali probabili et incerta materia, vel forma sacramentum adminis-

(1) In 1^{m} $2^{æ}$, disp. 63, c. 3.
(2) *In Decal.*, l. 1, c. 9, nn. 33 sqq.
(3) *De Matrim.*, l. 3, disp. 20, n. 4.
(4) L. c., nn. 13 et 14.

trare, quæ quæstio ex propriis principiis in negativam partem satis clare resolvitur : ita ut opposita pars quæstionis falsa, imo, et improbabilis judicari possit : cum sit quædam irreverentia contra sacramentum exponere illud periculo, ne invalide ministretur; ejusmodi vero periculum imminet, si existente quæstione, utrum talis materia, aut forma sufficiens sit, pars affirmans solum probabilis, ideoque dubia censeatur, qua de re videri potest Suarez to. 4, disp. 26, sect 6, n. 5. Excipiendus tamen est casus necessitatis, in quo recte administratur sacramentum præsertim unum ex necessariis cum dubio valoris saltem sub conditione. Cum enim ratio dictet ex duobus incommodis, id quod minus est eligendum esse, in tali casu necessitatis cessat periculum irreverentiæ formalis. Vide Petrum de Soto *tr. de Euch. lect.* 2 (1), Suarez, *t.* 3, *disp.* 21, *sect.* 4 *in fine*, *et t.* 4, *disp.* 26, *sect.* 6 ».

« Præterea addo, quod neque in quæstionibus de valore sacramenti semper requiratur exacta certitudo, sed sufficiat magna probabilitas, et quasi moralis certitudo, ita ut opposita sententia negans, talem v. g. materiam esse sufficientem, quasi nihil probabilitatis habere videatur. Nam sic docent multi Doctores licitum esse sacramentum Pœnitentiæ accipere cum sola attritione etiam cognita », [adeoque ministrare attritis (2)], « quia opposita sententia negans eam sufficere, valde improbabilis est quia sequeretur hominem numquam justificari per ipsam susceptionem sacramenti Pœnitentiæ, cum jam ante per contritionem eum justificatum esse oporteret, quod tamquam improbabile jam communiter rejicitur ».

(1) Vide P. de Soto, in libro : *Tract. de institut. sacerdotum,* lect. 2.

(2) Si quæras, quousque confessario constare debeat de dispositione pœnitentis, dicendum est constare debere secundum modum possibilem in illa materia, qui modus est ut prudenter et probabiliter judicet pœnitentem esse dispositum, et pœnitenti credat. Qua de re, utilia reperies apud Faure, *Dubitat. theologicæ de judicio practico* etc. (Lucani, 1843), dub. 1 et 2; cui tamen in doctrina tradita et interpretatione auctorum in omnibus assentiendum esse, non dicimus. Et cfr. in hac nostra Dissert. nn. 178 sqq., præsertim n. 179.

Idem de sacramento Pœnitentiæ ex ratione paululum diversa deducit adversus Vasquez, Terillus (1) : quia nimirum nimis arduum esset asserere talem dispositionem peccatori difficilem, a Christo fuisse requisitam, qui in gratiam peccatoris, hoc sacramentum ut remedium facile instituit ; et quando excludimus usum opinionis probabilis in sacramentis ministrandis, non loquimur nisi de casu quo absque magna difficultate materia certa haberi potest.

Juvat etiam referre quæ habet Lacroix (2) : « Martinus de Esparza unus ex theologis romanis qui jussu Innocentii XI cum aliis consultoribus interfuit examini propositionum damnatarum Roma 6ª Aprilis 1680 in Belgium scripsit in hæc verba : *nulla quisquam solicitudine concuti debet circa sufficientiam attritionis in confessione, propter prohibitionem primæ propositionis ex* 65. *Ea propositio fuit reprobata propter suam illimitatam amplitudinem et universalitatem cum indistinctione speculative tantum probabilis a probabili etiam practice et rursum probabilis utcumque a moraliter certa aut etiam plus quam moraliter certa. Sententia autem de sufficientia attritionis est practice probabilis et moraliter certa, atque ut ego puto, plus etiam quam moraliter certa. Accedit apud censores prædictarum propositionum actum fuisse in terminis propriis de sufficientia attritionis atque ex consensu omnium qui aderamus sententiam communem mansisse incolumem* ».

Addidimus : nisi in iis in quibus, posita probabilitate, supplet Ecclesia : ita enim in sacramento Pœnitentiæ, ad cujus valorem requiritur jurisdictio in ministro, casu quo vere probabilis est jurisdictio, suppletur ab Ecclesia si reipsa deesset ; et in Matrimonio, « error probabilis, quo viri docti existimant matrimonium assistente parocho non sacerdote, valere, efficeret illud esse validum » ut notat Sanchez (3).

203. *b)* Quod spectat susceptionem sacramentorum, in quæstione de valore idem dicendum est ac de ministratione, b) *In sacramentis suscipiendis.*

(1) Op. cit., Q. XXIV, ass. 1.
(2) L. VI, p. II, 874.
(3) *De Matrim.*, lib. 3, disp. 20, n. 4 in fine.

ut jam insinuatum est, eædem enim rationes valent. Si vero validum sit sacramentum, dubium autem sit an aliquid ex parte suscipientis obstet fructui percipiendo, dubium istud transit in practicum, unde si probabile sit non esse obicem, erit probabile licere suscipere sacramentum : sacramenta enim sunt instituta propter homines, et obex non ponitur per se adesse sed probari indiget, ut constet de obligatione religionis et reverentiæ sacramenti, tollendi obicem ne infructuose illud suscipiatur. Sacramenta itaque vivorum, in quibus per se requiritur ut dispositio ad fructum suscipiendum, status gratiæ, licite suscipiuntur cum opinione probabili de statu gratiæ, donec nimirum non constat de peccato, et ideo dicitur obex simpliciter esse conscientia status peccati, quocum optime congruit sententia saltem probabilis et communior statum peccati aliquando per accidens non impedire effectum gratiæ : quando nimirum homo inculpabiliter ignorat se esse in peccato supposita tamen pœnitentia per attritionem, quia sine pœnitentia, saltem ex lege Dei ordinaria, nulla remissio : cum peccato autem incompossibilis gratia. Quod sacramenta mortuorum attinet, impœnitentia est obex, adeoque pœnitentia requiritur per attritionem, vera, non putata quæ nulla est (1). Atvero in sacramento Pœnitentiæ, remotio talis obicis pertinet ad valorem imo ad materiam sacramenti, juxta communiorem saltem sententiam; in Baptismo autem, quod cæterum de sacramento Pœnitentiæ etiam valeret, vix intelligitur quomodo ipsi suscipienti possit esse dubia aut probabilis pœnitentia sua, cum unicuique sensu intimo constet de facto interno et reflexione facta certior quisque fiat de dispositione sua actuali : unde dicere possumus in sacramentis mortuorum non esse locum dubio aut probabilitati, ipsi pœnitenti de sua dispositione ad fructum percipiendum, nisi ex defectu reflexionis et deliberationis.

(1) Non dico : requiri *contritionem*, etiam solum existimatam; neque dico : *contritionem existimatam* non sufficere, quia contritio existimata adesse veram attritionem sufficienter testatur (V. Navarr. in *Man.* cap. 1, n. 17; c. 10, n. 4); sed : requiri et sufficere veram attritionem.

204. *c*) Tandem post factum potest oriri dubium de valore, et ita post susceptum sacramentum, potest dubium supervenire de ejus valore, et consequenter ad hoc dubium potest oriri triplex aliud dubium : an debeat iterari ; an possit ; et quid, stante dubio, dicendum de jure aut obligatione ex sacramento suscepto, oriundis. Hoc autem triplex dubium aliquando erit speculativum, aliquando transibit in practicum. At singuli casus fere sunt inspiciendi. Generatim dicere possumus si dubium sit aut probabile sacramentum fuisse valide susceptum, non ideo statim dubium aut probabile esse debere iterari, quia etiam certum esse potest ex obligatione charitatis sacramentum esse sub conditione saltem iterandum ; contra, si invaliditas non importet malos effectus sine iteratione insanabiles, per iterationem autem sanandos, erit probabile practice vel practice dubium non esse iterandum ; imo, si secutura sit ordinis perturbatio, non poterit iterari. Unde in hac re valet probabilis sententia auctorum de iteratione facienda vel non facienda, licita vel non licita, ad fundandam probabilitatem practicam ut notat De Lugo (1). Cæterum hac in re inspicienda est, quod sacramenta attinet, singulorum sacramentorum natura.

c) Post actum positum aut sacramentum susceptum, orto dubio de valore.

An possit aut debeat iterari.

205. Quod tandem attinet jus vel obligationem quæ ex actu posito, aut sacramento suscepto oriuntur, iterum orto postea dubio aut probabilitate de valore sacramenti (2) v. gr. matrimonii, non ideo practice dubium aut probabile erit, debitum non posse aut non debere reddi, sed certum erit id fieri debere : quia alter conjux habet ex titulo possessionis jus certum ad redditionem debiti, donec demonstretur nullitas matrimonii ; erit tamen practice probabile aut dubium non esse illicitum petere : quia hic nulla obligatio sive ex charitate sive ex justitia aliave virtute impedit quin transitus fiat a priori dubio speculativo ad practicum, quæ ipsa absentia obligationis ipsum dubium practicum vel probabili-

Quid in illo dubio de obligatione aut jure ex sacramento suscepto oriundis.

(1) *De Just. et Jure,* disp. 16, n. 97; et *de Pœnit.*, disp. 7, sect. 13, n. 275.

(2) V. Laymann, l. cit., n. 24 et auctores ibi allatos.

tatem practicam resolvit in certitudinem liceitatis, ut videbimus.

4° Votum et obedientia seu præceptum positivum.

206. 4° Denique potest quis voto ligari, aut ordinatione positiva superioris ad sectandum quod tutius est, ut per se patet. Exemplum habemus in decreto Clementis III (1) : « Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, vos convenit injungere presbytero memorato » (dubie homicidæ) « ut in sacris ordinibus non ministret ». Egregie explicat Suarez (2) : « Est... sermo de dubio speculativo, ex quo pendet dictamen conscientiæ, ut est in casu illorum textuum, an Petrus, v. gr., fuerit mortuus ex vulnere inflicto a Paulo, necne. Ex quo infero, quando in illis textibus dicitur una pars securior et in altera esse aliquid periculi, non esse sermonem de periculo culpæ, quia de hoc ipso versabatur quæstio, an ibi esset periculum culpæ, nemoque dubitavit quin operari cum periculo culpæ sit malum : peteret ergo Pontifex principium, vel non rectam rationem afferret, si in illo sensu illo principio uteretur. Vocat ergo tutiorem partem illam quæ pauciora habet incommoda, et minoris momenti, omnibus pensatis; periculum autem quod imminere dicit, non est aliud, nisi quia accidere posset ut verus homicida celebraret aut ordinaretur, quod est contra decentiam ipsius rei et Ecclesiæ intentionem. Ex quo principio sic intellecto et ex judicio prudentiali in tali materia, nimirum tutius esse abstinere a ministerio sacro, colligit Pontifex legem quæ statuit ut ita fiat. Ut autem hoc statuat, necesse non est ut illud principium, in quo fundatur, *in dubiis tutiorem partem esse eligendam*, sumatur in universum ut necessarium ad vitandam culpam, seu tamquam præceptum, satis enim fuerit quod Pontifex id existimaverit esse convenientius, et magis consentaneum prudentiæ, et juxta illud legem statuerit. Et ob eamdem causam necessarium non est ut id, quod ibi Pontifex statuit ac præcipit, per se esset necessarium ex vi solius rationis naturalis : nam sæpe

(1) C. 12 *ad audientiam*, de homic. vol., t. 12, l. V, Decret. Greg.

(2) *De Censuris*, disp. 40, sect. 6, nn. 8 et 9. Cfr. Sanchez, *in Decal.*, l. 1, c. 10, nn. 37 sqq.

lex positiva statuit aliquid ex prudentiali ratione quæ per se sola non induceret necessitatem, est autem sufficiens ad statuendam legem, quæ necessitatem imponat. Si ergo Pontifex judicavit in hac materia expedire, ferri legem de sequenda tutiori parte, quia, in hoc quod dubius de tali facto abstineat, solum illud potest esse incommodum, quod hoc est onerosum tali personæ, et quod aliquando potest contingere, ut ille, qui revera homicida non est, abstinere cogatur : at hoc quasi nihil existimatum sit a Pontifice comparatum cum reverentia debita rebus sacris, et cum periculo quod aliquando homicida ministret. Hæc autem ratiocinatio per se sola fortasse non esset sufficiens ad obligandum hominem dubium, ut in eo casu abstineret : fuit autem sufficiens ut Pontifex lege sua id decerneret. Maxime cum ipse potuerit judicare esse sufficientem causam ad imponendum hoc onus in tali casu, quod homo sua culpa vel negligentia actionem fecerit simili dubio expositam. Item cum ad summum Pontificem pertineat cavere omnem indecentiam circa ministeria sacra » (1).

207. Explicandum remanet quod de dubio non pertingente ad probabilitatem speciale addidimus : illud nimirum non transire e speculativo in practicum, etiamsi nulla aliunde obligatio certa exurgat ponendi aut omittendi actum, quotiescumque antecedenter ad dubium speculativum (v. gr. dubium facti adimplentis obligationem) ea ipsa obligatio firma et certa erat cui dubium superveniat; sed tunc solum in practicum transire, quando idem dubium speculativum (v. gr. dubium facti fundantis obligationem) ostendit obligationem nondum adesse. Sed quoniam ea quæ hac de re sunt dicenda intime connexa sunt cum ipsis principiis solvendi ejusdem indolis dubii practici, melius ea simul in sequente paragrapho proponemus.

208. Ut finem huic rei imponamus, duo advertimus notatu digna : *Notanda.*

(1) Plures alios textus juris similes, in quibus provocant Pontifices ad dicterium : « in dubiis, quod tutius est sequendum est », affert Terillus, et explicat op. sæpius cit. Q. XXVI, nn. 18 sqq.

Quando duo contradictoria sunt dubia vel probabilia : nequaquam dubium vel probabile est, utrumque esse verum.

1° Quando duo contradictoria sunt speculative dubia aut probabilia, nullo modo est dubium aut probabile utrumque simul esse verum, imo vero hoc repugnat. Etiamsi itaque transitus fieri posset ab uno contradictorio speculative dubio ad practicum dubium, sive negative sive positive, v. gr. probabiliter nondum est media nox festi paschalis, ergo probabiliter possum collationem sumere et mane communicare ; et : probabiliter est media nox, ergo probabiliter possum manducare carnes ; nullo tamen modo practice probabile esse potest : me posse manducare carnes et mane communicare, quia ad hoc requireretur ut sit probabile simul esse mediam noctem et non esse ; quod repugnat.

Quomodo in dubio an transire liceat ad dubium practicum recurrat solutio per principia quæ reflexa vocant.

2° Ad hoc, ut secure transitus fiat a dubiis speculativis ad practica, opus est diligenti consideratione eorum quæ exposuimus et porro infra de dubio negativo dicemus, ac in parte tertia, ubi de applicatione principiorum agitur, uberius forte erit explicandi locus. Quod si, omnibus inspectis, dubium forte remaneat an ad dubium practicum transire liceat, et consultis sapientibus et auctoribus, qui et ipsi non semper hac in re conveniunt, dubium illud non mere nobis subjectivum esse constet sed ad publicum aliquo modo reducatur, recurrit tunc indirecte solutio per principia probabilismi mox demonstranda : non potest enim in illo casu non esse saltem extrinsece probabile, et quidem practice, licitum esse transitum ad dubium practicum.

§ III. *De dubio circa liceitatem non pertingente ad probabilitatem.*

Objective loquendo non licet agere cum dubio mere speculativo sed posito tantum practico.

209. Ex præcedentibus duo sunt manifesta. Primum : non solvi quæstionem de liceitate actionis hic et nunc ponendæ, positis solis dubio vel probabilitate speculativis, quia nihil ea enuntiant de operando vel non operando et cum iisdem consistere potest certitudo illiceitatis actionis consequentis. Secundum : proinde non licere agere nisi positis dubio vel probabilitate practicis, non tamen intelli-

gendo in eis sisti posse ita ut ultimus ante actionem mentis status sit formalis dubitatio respondens illis dubiis objectivis, sic enim agere semper illicitum est, ut supra demonstravimus; sed, iis positis, suppetere principia quibus certitudinem liceitatis acquiras et conscientiam efformes.

Animadvertamus hic denuo quanti momenti sit distinguere statum mentis ab ipso objecto quod natum est aliquem mentis statum producere. Loquendo enim de statu subjectivo mentis dicendum est non licere agere cum dubio i. e. dubitatione practica, seu cum dubio formali an hic et nunc actio sit licita, et contra, licere cum dubio speculativo i. e. etiamsi remaneat dubitatio formalis de objecto a liceitate actionis hic et nunc ponendæ diverso, dummodo hæc liceitas sit directe vel indirecte certa. Loquendo vero de dubio aut probabilitate objective, contrarium dicendum est ut modo fecimus.

Subjective loquendo non licet agere cum dubitatione formali practica at non obstat dubitatio mere speculativa.

210. Remanet itaque quæstio quomodo dubia practica solvantur seu ad certitudinem in iisdem deveniatur. De solis itaque dubiis non pertingentibus ad probabilitatem nunc agendo, evidens est, quotiescumque omnibus inspectis dubia est obligatio ponendi vel omittendi actum hunc determinatum, statim concludi posse nullam esse obligationem, siquidem etiamsi eodem modo probabilis esset obligatio, ita esset concludendum, ut infra demonstrabimus, et sæpe jam diximus : concipi enim nequit obligatio etiam in actu primo sine cognoscibilitate, in actu secundo sine scientia actuali ejusdem in subjecto ligando. Et hoc est quod dicitur : libertatem manere seu possidere, donec constet de ejus limitatione per obligationem. Contra, in dubiis speculativis sicut in probabilitate speculativa, alia obligatio aut quod in idem recidit, necessitas consequendi finem quæ impediunt dubium aut probabilitatem ne in practica transeant, subsistunt certæ et firmæ, et dicitur lex seu obligatio possidere quia de ipsa constat non obstante dubio speculativo. Imo etiamsi nulla aliunde obligatio adsit, (quod dubio præ probabilitate proprium est) manet firma obligatio de qua antea constabat, etiamsi dubium deinde superveniat, seu manet in

Solutio dubii negativi.

possessione obligatio, quia dubium non excludit certitudinem moralem oppositi, sicut probabilitas partis unius excludit certitudinem partis contradictoriæ. Et ita intelligitur quomodo satis communiter auctores, dubium negativum seu quod non pertingit ad probabile, potius quam aliud, resolvi dicant per principium possessionis : *in dubio melior est conditio possidentis*, illud intelligendo sensu generali ut modo accepimus ; et ita valere hoc principium in omni dubio negativo. Hoc modo necesse non esset distinguere dubium negativum practicum a speculativo, siquidem eo ipso quod obligatio possidet, dubium non est practicum. Quare nos alium modum procedendi et loquendi prætulerimus, satis elucebit ex mox dicendis de applicatione illius principii, et de adagiis illis moralistarum generatim.

Quo sensu resolvatur per principium, ut dicunt, possessionis.

211. Auctores qui, ut diximus, dubium resolvendum esse statuunt ex adagio : *in dubio melior est conditio possidentis*, vel : *in ambiguis beatus qui possidet*, ab invicem dissentiunt circa applicationem magis minusve extensam istius principii. Alii videlicet illud in materia justitiæ tantum valere dicunt, alii vero in omnibus materiis (1) ; aliqui etiam in casibus probabilitatis id applicant (2). Verum nobis videtur ea dissensio oriri partim ex diverso modo considerandi, partim esse realem discrepantiam. Si enim possessio sumatur in propria sua significatione juridica, eo ipso ad materiam justitiæ limitatur et dici consuevit de solis rebus corporalibus, minus proprie in eadem materia dicitur de juribus, et vocatur quasi possessio. In materia autem justitiæ non tantum de dubiis stricte dictis valet sed de omni incertitudine quæ etiam ad probabilitatem pertingat, quia non potest quis privari re quam possidet bona fide, nisi *constet* non esse suam, unde dicitur possessio valere pro titulo. Si vero possessio dicatur significatione translata, ut dicitur possidere obligatio quamdiu est certa, libertas vero quam-

Auctores dissentiunt in applicatione illius principii.

De ea re fertur judicium.

(1) De hac re vide Suarez, *De Censuris* disp. 40, sect. 5, n. 15 ; et *De Voto*, l. 4, c. 5, nn. 7 sqq. ; Sanchez, *in Decal.*, l. 1, c. 10, nn. 10 et 11 ; Terillum, op. cit., Q. XXIII, nn 42 sqq.

(2) Vide S. Alph., l. 1, n. 26 sqq., et *Homo apost.*, tr. 1, nn. 14, sqq.

diu non constat de obligatione, utique in omni materia verum est : in dubiis meliorem esse conditionem possidentis, legis videlicet seu obligationis contra motivum leve dubitandi in favorem libertatis, quod de dubio negativo valet; libertatis vero contra motivum etiam grave in favorem obligationis modo de hac non sufficienter constet, quod etiam de casibus probabilitatis valet (1). Præterea, qui in casu aliquo illud principium possessionis applicandum esse tenent, aliquando non conveniunt quæ pars reipsa possideat, quod tunc obtinet quando nos diximus non constare an dubium speculativum in practicum transeat. Hac de re utiliter notat Sanchez (2) : « Quod si petas regulam, ex qua dignosci valeat quis possideat, ut inde sciri possit cujus sit potior conditio ad obligationem inducendam, eave liberandum, hæc tradi potest. Attendendum est in hoc dubio, pro quo stet in foro externo præsumptio, et dum non constat de veritate, ea pars pro qua est præsumptio, censebitur possidere, et prævalebit in utroque foro. Quare si præ sumptio fori externi stet pro obligatione, tenebitur voluntas; si autem stet pro voluntatis libertate, non tenebitur... Et probatur primo : quod jura nihil absque causa justa præsumant nec præsumptio iniqua ac temeraria sit. (Ut probavi l. 5 *de Matrim.*, disp. 3, n. 1). At si in eo dubio obligatio, pro qua stat præsumptio, non præponderaret, temerarie et absque justa causa præsumeretur... Secundo : quia... præsumptio juris est verisimilitudo quædam sufficiens ad rem dubiam credendam : vel est probabilis conjectura ex certo signo proveniens, quæ alio non adducto, pro veritate habetur, donec adversarius oppositum probet, in quem id probandi onus transfertur. Ergo dum stat hæc juris præsumptio in eo dubio pro obligatione, nec dubitans potest contrarium assensum habere et sic se exonerare, erit sustinenda obligatio tamquam vera. Dices hæc

Quænam pars possideat.

(1) Inde intelliges quomodo Bolgeni, in dissert. « *Il possesso* », Orvieto, 1847, possit dictum principium applicare omnibus dubiis solvendis. Vide etiam Terillum, l. cit., n. 52.

(2) *In Decal.*, l. 1, c. 10, n. 13.

probare in foro externo. At hæc evasio potius meæ sententiæ favet : nam si in foro externo cognita hujus dubii veritate, et eo dubio permanenti, censebitur hic obligatus : idem quoque in foro interno est necessario dicendum. Quippe judicia hæc diversa non esse, nisi quando externum præsumptione ducitur, et internum contrariam veritatem novit, probavi n. 11 » (ubi dixit : idem judicandum esse in utroque foro, quando externum non innititur falsæ præsumptioni, nec in pœnam judicis sententia agentem damnat).

De similibus effatis moralistarum generatim agitur. Quid sint.

212. Effata itaque ista moralistarum, quorum jam aliqua obvia habuimus, quædam axiomata sunt et adagia, ipsius sanæ rationis dictamina, quibus in discussione et resolutione dubiorum utimur tamquam certis et stabilitis fundamentis, ex quocumque tandem fonte sint desumpta. Ita : in dubio melior est conditio possidentis, reperitur aliquo modo in lege 128 *ff* de reg. Juris : « In pari causa, possessor potior haberi debet », et ponitur etiam in jure canonico 65 reg. Juris in 6 : « In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis » : exprimit autem per se præsumptionem rationabilem et justam, quæ omnem legem positivam antecedit. Hoc tamen valde cavendum est ne credatur simplex eorum enuntiatio sufficere, sicut multi in libris suis videntur credere, ad rem probandam, non enim constituunt demonstrationem rectæ operationis et solutionis dubii in aliquo casu, sed ipsa explicatione indigent; vel si vera axiomata sint, discreta saltem indigent applicatione. Et hæc præcise explicatio et applicatio demonstratio erit rectæ solutionis. Unde potius, supposita demonstratione quomodo aliquod dubium solvatur, ea principia resumunt et brevi formula repræsentant ipsam demonstrationem; hæc autem illa explicat et applicat, et iisdem sic determinatis utitur ut principiis. Eadem itaque determinatione et explicatione posita, possunt etiam alicujus seriei similium dubiorum solvendorum commune principium exhibere; si vero simpliciter enuntientur nihil demonstrant et tantum gignendæ confusioni inserviunt. Ut unum exemplum subjiciamus ex auctoribus

Ad quid inserviant.

non spernendis : multos invenies (1) dicentes debitorem in dubio an solverit, solvere debere : quia potior est conditio possidentis, debitum certum possidet. Alii, ut Tanner (2) dicent : non debet solvere, quia melior est conditio possidentis pecuniam suam, quam non debet elargiri donec certus sit se non solvisse, nisi ipse solus dubitet et creditor existimet eum non solvisse.

Ulterius demonstratur solutio dubii

213. Hisce dictis, ut quæ de illis adagiis animadvertimus ipsi observemus, principium possessionis ut meram formulam non adhibebimus, sed primum demonstrabimus quomodo dubium sit solvendum, quæ deinde demonstratio illo adagio debite intellecto poterit repræsentari.

1° Si sit practicum.

214. Triplex fieri potest hypothesis de dubio negativo. I^a^ Quod certo sit practicum, ita ut vel nullum vel leve tantum sit motivum pro obligatione et contra obligationem ponendi aut omittendi hic et nunc aliquam actionem. Quid autem ad hoc requiratur ut dubium speculativum ita in practicum transeat, in præcedente paragrapho satis indicavimus. In hoc casu, ut jam diximus, vincit libertas, cum incerta demum obligatio, quidquid sit de motivis directe faventibus libertati, sit nulla ; seu, ut dicunt, possidet libertas.

Regulæ de dubiis speculativis certo transeuntibus in practica.

Inde sequentes regulæ de dubiis speculativis in practica transeuntibus ab auctoribus positæ :

Regula 1.

1^a^ Quando dubitatur utrum lex aliqua existat vel certo existens aliquem casum comprehendat, libertas manet. Exemplis dandis non immorabimur, quia in applicatione generali principiorum, in tertia parte hujus dissertationis hisce locus erit (3).

Regula 2.

2^a^ Item, in dubio facti fundantis obligationem, manebit libertas. Huc pertinet adagium : « Factum in dubio non præsumitur, sed demonstrari debet ».

Regula 3.

3^a^ Item, in dubio circa tempus obligationis inchoandæ.

(1) Cf. S. Alphonsum, lib. 1, n. 34.

(2) In 1^m^ 2^æ^, disp. 2, q. 6, dub. 4, n. 49.

(3) Interim videre potes hasce regulas cum exemplis apud Bouquillon, op. cit., nn. 368, sqq.

Regula 4. 4ª Item, in dubio an actum positum debito modo posueris, censeris debite posuisse et liberaris. Hic tamen omnino tenenda sunt quæ supra de sacramentis iterandis diximus, ita ut hæc præsens regula non valeat ubi agitur de valore, nisi reipsa transeat dubium speculativum in practicum; et quæ hac de re in foro externo statuerentur, ea conditione tantum valent pro interno, quod forum internum non cognoscat falsum præsumi ab externo. Et hisce positis : « in dubio standum pro valore actus ». Huc etiam spectant, præsertim ubi non agitur de valore sed de debita satisfactione alicui obligationi : « In dubio standum pro eo pro quo stat præsumptio. » « Ex communiter contingentibus prudens fit præsumptio. » « Factum in dubio præsumitur, quoties de jure faciendum erat ».

Regula 5. 5ª In dubio de modo, gravitate, extensione obligationis sive ex lege ortæ sive sponte contractæ, præferri potest quod est minus onerosum. Huc pertinent varia dicteria et regulæ juris : « Favores ampliandi, odia restringenda. » « In obscuris quod minimum est, tenendum ».

2ª Si sit mere speculativum, quod fit dupliciter. 215. IIª Hypothesis : quod dubium sit certo mere speculativum, quod dupliciter fit *a)* uti de probabilitate diximus : quando vel cum obligatione dubia alia concurrit certa, vel in dubio facti est necessitas finis consequendi independenter a dubio; *b)* quod proprium est dubio negativo : quando obligationi, de qua præcisione facta a dubio illo seu antecedenter ad dubium sufficienter constat, dubium istud deinde supervenit. In hac hypothesi, patet in priori casu sub *a)* omnino manere illam obligationem et necessitatem consequendi finem, et nihil efficere dubium sed esse negligendum, aliis verbis : obligationem manere, ut dicunt, in possessione, et quidem a fortiori id obtinere de dubio, si ita dicendum est etiam de probabilitate; in altero vero casu sub *b)* cum dubium superveniens non pertingat ad probabilitatem, nullatenus potest, etiam nulla aliunde exurgente obligatione, hanc ipsam obligationem de qua agitur infirmare et incertam reddere, adeoque manet illa in possessione.

Quid dicendum in primo casu.

Quid in altero casu.

Inde regulæ. Inde regulæ :

1ª Quando constat de lege, sed dubitatur an adhuc vigeat, manet obligatio. *Regula 1.*

2ª In dubio facti adimplentis obligationem, manet obligatio. *Regula 2.*

3ª Item, in dubio circa tempus finiendæ obligationis. *Regula 3.*

216. IIIª Hypothesis : quando non certo constat an dubium speculativum transeat in practicum, seu quando omnibus consideratis non constat quænam pars possideat, an obligatio, an vero libertas. Hi casus difficiliores sunt et auctores etiam inter se de principiis consentientes maxime discrepant quoad solutiones. Solutio quidem finalis indirecta suppetit : cum enim inter se dissentiant auctores, probabile erit saltem extrinsece, adeoque mediate etiam intrinsece, licere transire ad dubium practicum et poterit quis sequi quos vult, juxta dicenda sequente paragrapho ; vel si ipsi auctores casum non discutiant et non attingatur probabilitas in solutione, erit saltem practice dubium licere transire ad dubium practicum : quia semper verum manet, nullam esse obligationem, qualecumque dubium angere nos possit, nisi de obligatione constet. Unde videmus in hac tertia hypothesi recurrere principia Probabilismi (§ IV), et solvendi dubii (sub Iª et IIª hypothesi), cum res indirecte recidat in eorum dominium. Attamen solutio directa, et ponderatio rationum quibus auctores innixi sententiam suam proferunt valde difficilis est. Singuli casus sunt inspiciendi, ita ut nihil fere generaliter statui possit, nisi quod inquirendum sit pro qua parte stet aliqua præsumptio, qua in re, quoniam de dubio consequente ad aliquod dubium facti agitur, inservient regulæ seu adagia : « Factum in dubio non præsumitur sed demonstrari debet ». « Ei incumbit probatio qui dicit non qui negat ». « Delictum et defectus non præsumitur, sed demonstrari debet ». Et contra : « Factum in dubio præsumitur, si illud de jure faciendum erat ». Et aliæ quæ inveniantur in jure præsumptiones, considerandæ sunt, et tum generatim juris in similibus intentum et mens, tum specialiter sensus et rigor legis circa quam versatur dubium, consequens ad dubium facti, quod forte in practicum transeat.

3° Quando non constat an dubium in practicum transeat, recurrit indirecte solutio per principia Probabilismi (in seq. § vel data sub 1° et 2°.

Solutio directa difficilis.

Exempla quædam.

217. Unum alterumve exemplum proponamus ex Laymann. Quæritur an pater irritare possit votum filii ingrediendi religionem, in dubio utrum ante vel post annos pubertatis fuerit emissum. Respondet Laymann (1) affirmando : « Nam hæc ætatis mutatio est quid facti, quod non præsumitur nisi probetur. Accedit quod in dubio superior spoliandus non sit jure et auctoritate sua. Ita Sanchez n. 39 » (2). Posset dici in contrarium, potestatem paternam non extendi ultra vota impuberum, adeoque in dubio num fuerit filius impubes, dubiam esse potestatem nec constare utrum superior potestas suppleat, cum autem votum certo sit factum dubie autem irritatum, votum possidere.

Vide ibidem (3) casum de peccatis dubiis.

Alius casus : « Sed numquid sacerdos dubitans an noctis medium cœnando excesserit, altera die sacrificare poterit? Negat Sanchez l. c. (4), quia in tali dubio seu incertitudine tutior pars eligenda videtur propter reverentiam sacramenti. Sed existimo non improbabiliter permitti posse sacerdoti ut in tali casu sacrificet etiam propter devotionem ac nulla cogente necessitate : quia lex ecclesiastica de jejunio communicaturis servando, non videtur tam arcte constringere conscientias in casu dubio. Cessante autem obligatione legis ecclesiasticæ, jam nulla est irreverentia cum tali dubio communicare » (5).

Magis urgeret ratio a Sanchez allata in altero casu : utrum in dubio post diligentiam moraliter possibilem perseverante an sit media nox, liceat adhuc manducare, si velis mane celebrare. Quia licet lex propter reverentiam sacramenti lata, dicatur non ita urgere ubi certus non es te fregisse jejunium naturale, bene tamen urgere potest ne scienter ponas factum quod tale dubium inducat; et generatim facilius oritur obligatio non inducendi voluntarie du-

(1) L. 1, tr. 1, c. 5, n. 34.
(2) I. e. n. 39 libri 2 *de matrim.*, disp. 41.
(3) L. cit. Laymann, n. 37.
(4) I. e. l. c. *de matrim.*, n. 40,
(5) Laymann, l. cit., n. 36.

bium impedimentum quocum agas, quam orto impedimento dubio absque voluntate tua, abstinendi ab actu.

Statuitur una generalis regula solvendi dubii negativi.

218. Si quæratur generalis regula de solvendis dubiis negativis, hæc ex dictis poterit constitui : dubium negativum esse negligendum, ita ut in speculativo dubio stet obligatio, quasi nullum esset dubium; in practico vero et de quo non constat esse mere speculativum stet libertas, quasi nullum esset motivum in contrarium.

Inde intelligitur modus noster procedendi.

219. Inde intelligitur in modo procedendi nostro regulam omnino generalem esse pro quocumque dubio sive probabili sive non pertingente ad probabilitatem : libertatem firmam manere in dubio practico ; ita ut tota res sit in discernendis dubiis practicis a mere speculativis ; et discrimen inter dubium negativum et probabilitatem, quod solutionem attinet, reducatur ad utriusque discrimen in transitu a speculativis in practica, quod cæteroquin ex propria utriusque diversa natura oritur, ut vidimus.

Et cur consequenter tantum ad demonstrationem applicavimus principium possessionis.

220. Quod principium possessionis attinet, illud potius consequenter ad demonstrationem applicavimus, quam antecedenter ad illam ut illam efficiens; idque ut putamus merito, quum sit per se indeterminatæ significationis et applicationis atque ex ipsa solutione dubii ejus sensus determinetur.

§ IV. *De Probabilitate practica.*

Cum probabilitate practica certo licet agere.

221. Thesis est : Quotiescumque liceitas agendi vel omittendi actionem est vere practice probabilis, certo licet eam actionem exercere vel ab agendo abstinere.

Numquam, ut vidimus, licet cum dubio practico sive negativo sive positivo, formali dubitatione non deposita, agere, sed requiritur ultimum dictamen conscientiæ certum liceitatis. Hoc igitur nunc affirmamus : si vera sit probabilitas practica de liceitate actionis, semper formari posse dictamen certum de ejusdem liceitate et hoc sensu : qui probabiliter agit, prudenter agere. Rem declaramus 1° generatim, deinde 2° in particulari fusius.

1° Declaratur generaliter.

222. 1° Sicut ad licite agendum requiritur certitudo de liceitate, ita ut obligatus sis ad aliquid agendum vel omittendum requiritur conscientia illius obligationis. Atvero hoc maximum discrimen inter utramque rem existit, sicuti ex superius passim dictis constat : certitudinem practicam haberi de liceitate donec demonstretur oppositum, certitudinem vero consequenter non haberi de obligatione nisi ea demonstretur. Jamvero, quotiescumque probabilis est liceitas alicujus actus, eo ipso demonstrari nequit ejusdem illiceitas, quamvis et hæc possit esse probabilis (1). Unde cum non constat de illiceitate, eo ipso certum est practice licere. Hoc igitur habemus ratiocinium, cujus utraque præmissa ad nauseam fere in hac dissertatione fuit demonstrata : Nemo potest ligari in actu secundo nisi de vinculo objectivo et necessitate id applicandi subjecto, seu de obligatione hic et nunc agendi vel omittendi actum, constet. Atqui, ubi practice probabile est actionem aut omissionem hic et nunc licere, constare nequit de obligatione hic et nunc omittendi, vel ponendi actum, sed ea ad summum potest esse probabilis. Ergo.

Obligatio incerta obligatio nulla.

Obligatio autem probabilis eo ipso incerta.

Certitudo obligationis ex 2 capite potest deficere.

Ex duplici autem capite potest deficere illa certitudo obligationis, juxta duplicem originem probabilitatis illius practicæ, et juxta duplicem regulam moralitatis seu duplex requisitum ut aliquis in particulari casu obligetur, quorum utrumque aut alterutrum deficiat. Probabilitati enim practicæ præsupponitur speculativa quæ vel proxime versatur circa jus seu legem, vel remotius circa factum inducens aut extinguens obligationem (per factum nunc intelligendo quodcumque objectum de quo dubitetur, diversum ab ipsa lege); obligatio autem actualis supponit legem ceu regulam objectivam certo existentem, et deinde conscientiam ceu regulam subjectivam applicantem regulam objectivam subjecto : si igitur non constet de lege seu vinculo objectivo, aut, etiamsi de lege et obligatione objectiva non sit sufficiens

(1) Quod contra hoc assertum nostrum ex verbis S. Thomæ, in 3m, dist. 31, Q. 2, a. 1, ad 4m, forte deduci posset, id optime diluit Sylvius in 1m, Q. 79, a. 9.

ratio dubitandi quantum est ex parte legis, seu non sit probabilitas speculativa juris, sit tamen probabilitas facti extinguentis obligationem et subtrahentis obligationi objectivæ, vel e contra factum seu conditio requisita ut sub vinculo objectivo cadas sit tantum probabile non certum, jam deficiet in priori casu omnis obligatio, in utroque obligatio subjectiva : quia vinculum objectivum seu regula objectiva petit applicari per subjectivam et formalem, quæ est conscientia obligationis : scientia autem rei non consistit cum vera probabilitate rem non esse. Hæc ex præcedentibus sufficienter constant; ut nihil tamen claritatis desideretur et difficultates præoccupentur, in particulari ea paulo fusius explicabimus.

223. 2° Potest ut diximus probabilitas practica oriri *a)* ex probabilitate speculativa quæ versetur circa existentiam obligationis aut prohibitionis objectivæ, seu circa liceitatem materialem actus; vel *b)* ex probabilitate speculativa quæ non versetur circa eamdem obligationem objectivam, sed circa factum vel conditionem, qua posita applicetur vel non applicetur actu illa obligatio et in subjectivam seu passivam transeat vel non transeat. Hisce positis :

2° *In particulari.*

A. De lege positiva agendo : si *a)* probabile est legem non existere, statim licet ita ratiocinari : posita vera probabilitate publica (1), de qua sola agimus, legem non esse, lex non potest certo innotescere, quod signum est legem non esse promulgatam. Atqui lex non promulgata non est lex. Demonstravimus enim in prima parte promulgationem et cognoscibilitatem esse de essentia legis. Unde hic stricte applicatur adagium : *Lex dubia non obligat*. Facile intelligitur ne materiale quidem peccatum esse agere contra legem quæ publice ut incerta habetur.

A. *Considerando legem positivam.*
a) *In probabilitate practica orta ex probabilitate juris.*

224. Si *b)* de probabilitate facti agatur quo posito obliga-

b) *Ex probabilitate facti.*

(1) Qui publicam probabilitatem cum privata et mere subjectiva confundit, nihil hac in re efficit : ex illa confusione aliqui enormiter decepti, putarunt se Probabilismum evertere, constanter autem de mere subjectiva probabilitate loquuntur. Vide Thiels, *Brevis ac succincta de reflexis Probabilismi principiis discussio*, Mechliniæ, 1844.

tio objectiva certo existens transeat vel non transeat in subjectivam, v. gr. si probabile sit legem fuisse impletam, tunc ex parte legis nihil deficit neque invocandum est axioma : lex dubia non obligat, nisi hoc sensu improprio : lex ex se certa adeoque applicabilis sed aliunde probabiliter non applicanda hic et nunc, non obligat; sed ratiocinandum est sequente modo : natura prior est libertas, cui supervenit obligatio ceu limitatio et regula ; at obligatio non applicatur actu voluntati nisi mediante scientia, quam excludit vera probabilitas practica obligationem non esse applicandam. Ut enim sæpe jam diximus, non sufficit ad aliquem hic et nunc actu obligandum, ut existat lex obligans, quæ scilicet per promulgationem et cognoscibilitatem apta sit ligare, sed insuper requiritur ut illa objectiva et activa obligatio seu vis ligandi quæ supponitur cognita generatim quoad omnes, hic et nunc agenti, sufficiente utique diligentia in inquirendo adhibita, applicetur per actualem cognitionem seu conscientiam ejusdem obligationis, adeoque agens se passive obligatum sciat, quod, posita probabilitate practica se non ligari actu, fieri nequit. Et in hoc casu adesse quidem poterit peccatum materiale, non vero formale.

B. Agendo de præcepto et voto.

225. *B.* Agendo de proprie dicto præcepto, aut voto.

a) In probabilitate practica, orta ex probabilitate speculativa juris.

a) Quamvis hic de defectu proprie dictæ promulgationis sermo esse nequeat, potest tamen probabiliter non esse præceptum, aut non se extendere ad determinatum actum vel materiam adeoque præceptum non esse sufficienter intimatum : quo casu non est obligatio ne objectiva quidem, ut diximus, eodem modo ac de lege; vel saltem de extensione agendo, si ea fuit mens præcipientis et sub verbis signate contineri potest aliqua materia, nunc autem publice habeatur probabile non esse talem extensionem, erit obligatio objectiva quidem sed non transibit in subjectivam nisi posita declaratione superioris eaque a subdito cognita. Similiter dicendum de voto, quod tamen non ex alterius voluntate et intentione, sed ex propria est metiendum.

b) Ex probabilitate facti.

226. *b)* In probabilitate facti v. gr. adimpleti præcepti vel voti, omnino dicendum ut supra de lege. Quod si quis

hic objiciat paritatem esse hac in re inter probabilitatem et dubium negativum, adeoque hanc probabilitatem v. gr. adimpleti voti vel legis non esse practicam, quia obstat ne in practicam transeat, principium : obligationi certæ non satisfit per incertam solutionem seu impletionem, sicut nos ipsi supra diximus dubium negativum superveniens obligationi, de qua alioquin constat, nihil efficere; et imo S. Alphonsum, qui de voto agens sicut nos loquebatur, sese retractasse, nec amplius ut probabilem habuisse nostram sententiam. Respondebimus 1° non esse paritatem cum dubio negativo, cum possit consistere cum tali dubio certitudo contradictoriæ partis, dum contra si una pars probabilis sit, repugnat contradictoriam transgredi fines probabilitatis et ad certitudinem pertingere. 2° Etiamsi quis non admittat directe nostram sententiam, eam tamen in praxi indirecte admittere cogitur : est enim extrinsece probabilis, adeoque recurrit indirecte solutio per Probabilismum; nec reponas intrinsecam probabilitatem deficere : hoc enim vix intelligitur fieri posse ut tot doctores insignes sine ulla ratione solida nostram sententiam proposuerint; præterea ratio illa discriminis inter dubium et probabilitatem quam sub 1° attulimus certe suum habet momentum; tandem donec adversarii nostri certo demonstrent obligationem in casu probabilis impletionis, conscientia obligationis adeoque obligatio subjectiva nulla erit. Cæterum non est hic locus de applicationibus ex professo agendi, sed hæc ipsa quæstio in parte tertia recurret, ubi etiam doctrina S. Alphonsi de hac re ex professo examini subjicietur.

Objicitur paritas cum eodem casu dubii negativi.

Et doctrina S. Alphonsi.

Respondetur.

227. Ex dictis intelligimus per axioma : « lex dubia non obligat, » non demonstrari universaliter Probabilismum, sed tantummodo id valere ad ostendendum ipsam obligationem objectivam deficere. In casu vero ubi hæc subsistit sed non applicatur, recurrendum est non ad dubiam legem sed ad defectum scientiæ requisitæ ad hoc ut obligatio objectiva in subjectivam transeat. Hæc autem altera demonstratio, ut patet, universalis est, cum defectus obligationis subjectivæ utique libertatem adesse arguat quidquid sit de objectiva,

Per axioma : « Lex dubia non obligat » non demonstratur universaliter Probabilismus.

sive desit omnino, sive adsit sed non applicetur. Ad hunc alterum demonstrandi modum, quamquam ejusdem demonstrationis principium ex S. Thoma inculcat, non satis attendisse videtur S. Alphonsus, ut suo loco videbimus.

C. De lege naturæ videtur specialis esse difficultas.

228. *C.* De lege naturali in specie agimus quia videri posset esse specialis difficultas. Si enim speculative probabile sit aliquam actionem esse v. gr. intrinsece malam, dubitari posset utrum umquam probabile sit practice eam non esse formaliter prohibitam : cum enim intrinseca malitia ex ipsis rerum essentiis oriatur antecedenter ad liberam volitionem Dei, eamque Deus necessario qua talem refugiat, semper periculum esse videtur, non obstante probabilitate, ne fiat quod Deus necessario prohibet, adeoque sequenda tutior pars ne committatur peccatum. Difficultas solvitur ex supra disputatis de lege naturæ (1). Dicendum est itaque non illam moralitatem fundamentalem antecedenter ad voluntatem Dei imperantem et recta ratione promulgatam habere formaliter naturam legis, sed ipsum imperium divinum ratione recta manifestatum. Jamvero posita probabilitate publica aliquid sub lege naturæ non cadere, non sufficienter manifestatur imperium divinum, adeoque ne materiali quidem peccato, cui in præsenti statu formale respondere possit, locus est, si rem consideremus ex parte Dei; quamquam ex parte nostra, qui distinguere possumus imperium naturæ directum aliud, quod cum ratione recta in tota sua vi et extensione congruit, aliud reflexum quod consequenter ad statum præsentem scientiæ humanæ defectuosæ oritur, juxta superius explicata; locus est peccato materiali *sensu tantum remoto*, philosophico, quando actus revera difformis est a natura, quamvis dictamini reflexo sit conforme, adeoque nullum sit peccatum formale, nec materiale *proprio sensu*, illi *formali respondens*, theologicum (2).

Sed etiam in illa, applicantur principia Probabilismi.

229. De probabilitate facti, nihil est addendum. Ipsa enim ratio naturalis est quæ docet obligationem quamvis objectivam non transire in subjectivam nisi per scientiam ejus,

(1) Hac ipsa sectione II^a, cap. 1, nn. 187 sqq., et cf. n. 77 supra.
(2) Hæc intelliges ex dictis nn. 187 et 188.

adeoque agentem saltem excusari a peccato formali, ubi ea scientia non est sed sola probabilitas haberi potest (1).

230. Hæc, quam de lege naturæ dedimus, vera nobis videtur solutio; neque sufficiens nobis apparet illorum solvendi modus qui interrogando procedunt ac dicunt : an prudens esset legislator humanus qui extenderet effectus suæ legis ad casus quibus dubie applicatur, et similiter an credibile est Deum minus bonum esse quam legislatores humanos, et infirmis hominibus quibus veritas innotescere nequit tantum onus imposuisse ut in dubio obligarentur ad sectandam tutiorem partem, quasi lex esset certa? Nam, præterquam quod simile dictum nihil probat de paritate hac in re admittenda inter Deum et legislatores humanos, non agitur quoad legislatorem humanum de prudentia ejus sed de potestate : etiamsi enim vellet legislator, non posset obligare sine lege debite promulgata et certo cognoscibili.

Aliæ afferuntur solutiones quæ confirmant sed sunt a posteriori et difficultatem non enodant radicitus.

Quoad Deum vero, oportet ostendere Deum tam bonum esse ut nolit obligare si possit, aut demonstrare perfectioni ejus repugnare ut ita obliget, adeoque id Deum nec velle nec posse. Hoc autem satis manifestum est : neque enim Deus potest imponere legem quæ sit vera lex absque promulgatione. Omnes quidem debent statim Deo obedire etiamsi privatim tantum quocumque modo illuminati voluntatem ejus cognoscant, at si naturæ legem Deus per rationem promulgat, formaliter non præcipitur nec prohibetur nisi quod per rationem in determinato statu constare potest præcipi aut prohiberi; quæ vero incerta manent, sive ea sint objective consona naturæ sive ab eadem dissona, non sunt formaliter lex præcipiens vel prohibens, sed fundamentum legis seu moralitatem fundamentalem, incompletam, philosophicam constituunt, quæ ratione prior concipitur ad formale imperium sed non potest per se imperium aliquod naturæ efficere, ut de facto sit aliquod peccatum philosophicum contra naturam rationalem non contra Deum : natura

(1) Hic iterum valent quæ supra nn. 187 et 188 de peccato materiali et formali in legem naturæ disputavimus.

enim rationalis non proprie imperat et superior est nobis, sed sola Dei voluntas formaliter ut ratione promulgata, intrinsece bona quæ natura exigit necessario præcipiens, intrinsece mala prohibens.

Non est igitur nobis recurrendum ut sententiam nostram demonstremus, ad solas rationes a posteriori, quæ tamen dictorum veritatem confirmant et manifestant, qualis est : ignotam mansisse tot piis ac sapientibus omnium temporum hanc obligationem sectandi tutiora et vitandi periculum peccati materialis, aditumque patere, si hæc asseri debeat obligatio, innumeris anxietatibus et scrupulis.

D. Quid dicendum de lege supernaturali connaturali gratiæ.

231. *D.* Quod tandem legem supernaturalem connaturalem gratiæ attinet, ut Suarez loquitur : de hac, proportione servata, dicendum est sicut de lege naturæ, nisi quod præco ejus sit ratio fide illustrata, sub propositione et interpretatione Ecclesiæ.

Immerito in nos insurgunt rigidi.

232. Scholion 1. Auctores omnes rigidiores, qui nobis objurgant quasi permittamus cum dubio formali practico agere, evidenter operam perdunt et errant, cum exigamus omnino ultimum dictamen practicum certum liceitatis. Dicimus autem posita probabilitate practica statim nos deduci ad illam practicam certitudinem ; et quidem duplici modo, quamquam ultimatim non adæquate distincto, efformamus in casu conscientiam liceitatis. Alter modus dici potest *subjectivus et reflexus*, alter vero potius *objectivus et indirectus* quam reflexus, per principia quæ reflexa quidem Probabilismi principia vocantur sed tamen non dicunt proprie reflexionem in statum mentis, ut supra jam animadvertimus et statim intelligetur. Uterque autem modus, tum reflexus, tum indirectus opponitur *directo*, in quo videlicet post inquisitionem factam probabilitas non perseveret sed ex principiis directis ad certitudinem devenitur. In priori modo sequens est ratiocinium ad ultimum conscientiæ dictamen ducens : qui omnibus inspectis, prudenter credere potest ita ut a nemine imprudentiæ argui possit, se hic et nunc licite agere, ille licite agit. Atqui (en actus reflexus) ego hic et nunc prudenter credo me licite agere. Ergo licite

Duplex modus non adæquate distinctus formandi conscientiam.

Quomodo procedat prior modus qui dici potest subjectivus et reflexus.

ago. En dictamen absque ullo dubio formali, sufficiens ad fundandam licitam operationem. At modum illum non adæquate distingui diximus ab altero, quia hic ulterius rationem reddit et evidentius manifestat veritatem illius Majoris: qui prudenter credit etc. Quare enim ille certo licite agit nisi quia, objective rem considerando, ubi est probabilitas practica liceitatis deficit vel obligatio objectiva (lex dubia non obligat) vel saltem obligatio objectiva ex se applicabilis hic et nunc non applicatur subjecto et non transit in subjectivam et passivam per scientiam. In hoc altero modo itaque non est necesse sibi formare opinionem practice probabilem, sed abstrahendo ab opinione sufficit objectivam probabilitatem practicam adesse, qua posita ita ratiocinari licet : ubi est practice probabile rem esse licitam, res illa certo est licita, quia certa esse nequit prohibitio seu lex objective prohibens, lex autem incerta non est lex ; vel saltem scientia applicans illam legem deficit, lex autem non applicata per scientiam nequit actu aliquem passive ligatum efficere. Atqui, etiamsi nullam opinionem efformem imo speculative loquendo opiner rem esse illicitam (1), verum tamen est liceitatem esse vere probabilem. Ergo. Unde clare elucet nos semper ad certitudinem devenire. Est quidem unus alterve qui alioquin nobiscum sentiens strictius inhæret sententiæ : qui probabiliter operatur prudenter operatur; nec videtur judicium certum de honestate actionis requirere, ut fere de Vasquezio obiter notavimus supra, atvero modum loquendi illorum non approbamus, quoad substantiam tamen rei non dissentiunt a nobis. Agitur enim in illorum modo solvendi de efformanda conscientia reflexe secundum priorem illam quam attulimus methodum; jamvero si quis sibi opinionem efformat de liceitate, eo ipso fertur in illam ut prævalentem; saltem consequenter ad assensum, probabiliorem; et unice veram : qui autem cum tali judicio operatur non peccat; et

Quomodo alter modus qui dici potest objectivus per principia indirecta.

Aliqui auctores non requirunt certitudinem ad agendum, quo sensu intelligendi.

(1) Inde intelligitur quo sensu liceat contra propriam opinionem agere et consilium dare; quo sensu vero non liceat. Primum valet in hoc modo formandi conscientiam, hoc alterum vero in priori modo quem subjectivum vocavimus.

in hoc ipsi Probabilioristæ quos vocant consentire debent. Porro iidem illi auctores asserunt formidinem de opposito seu illiceitate quæ cum opinione remanet non contrariari morali certitudini, quam dicunt esse inseparabilem a judicio absoluto, certo probabili, existimante rem esse licitam, adeoque et ipsi certe negant suppositum : licitum esse cum dubio practico formali agere. Alii expresse dicunt majorem probabilitatem [intellige illam quæ semper consequitur judicium uni parti affixum; non quæ antecedenter provocet assensum, si velis uni parti ex probabilibus assentiri (1)] esse humano modo certitudinem, quæ proinde numquam deest ubi aliquis definitive potest alicui parti prudenter adhærere. Nos tamen ut diximus, hunc modum loquendi non satis aptum, rem autem ipsam non dilucide et apodictice satis, apud auctores illos demonstratam existimamus.

233. Scholion 2. Ex dictis deducimur ad aliam maximi momenti observationem quod spectat intelligentiam auctorum antiquorum, et ipsam originem systematum solvendi dubii in re morali.

Qui ante formata systemata moralia Probabilismi cæteraque et ante exortam proinde controversiam de principiis reflexis scripserunt, quando illi, solum modum subjectivum formandi conscientiam attendentes nec distinguentes inter certitudinem directam et indirectam seu acquisitam per principia quæ reflexa dicuntur, generaliter statuunt : in dubio sequendam esse tutiorem partem; et : unumquemque amplecti debere quod absolute vel probabilius judicaverit esse licitum, nequaquam possunt intelligi ut nunc Tutioristæ, aut Probabilioristæ. Nam illud : in dubio sequendum est tutius, potest dupliciter intelligi : vel de dubio quod nullo modo neque directe neque indirecte potest expelli, et hoc sensu omnes unanimiter admittunt dictum effatum; vel de solo dubio quod directe non expellitur, et hoc sensu soli Tutioristæ loquuntur. Iterum aliud dictum potest similiter duplici sensu accipi : 1° standum est pro parte probabiliore,

Quomodo hac in re loquantur antiqui. Non sunt Tutioristæ nec Probabilioristæ.

(1) Vide supra sect. I[a], cap. 2, § 5.

i. e. objective probabiliore antecedenter ad omnem assensum; et hic subdistinguendum est : et inspectis tantum rationibus directis : quo sensu est effatum Probabilioristarum; et inspectis etiam rationibus reflexis seu potius indirectis, de lege dubia non obligante etc. : quo sensu et nos loquimur, sed non tantum probabiliorem esse illam partem omnibus ita inspectis sed certam dicimus, et exigimus quidem certum dictamen nec probabilius per se sufficere dicimus. 2° Standum est pro parte probabiliore i. e. probabiliore non mere objective sed quæ consequenter ad assensum præstitum est probabilior, quia suum cuique opinatum est semper probabilius : hoc et nos dicimus, si de solo modo subjectivo conscientiam formandi agatur, ut apud antiquos contingit; non enim illi loquuntur de probabilitate a priori et solum directa ex parte objecti, sed de ultima apparentia, omnibus inspectis, qua operans fertur in honestatem suæ operationis, opinio autem ita formata, in casu conscientiæ rectæ, æquivalet morali certitudini; debet tamen ulterius demonstrari quomodo revera hæc absoluta adhæsio prudentem imo et omnem formidinem excludat. Hoc autem, quoties directe non exitur ex limitibus meræ probabilitatis, fit ex principiis indirectis seu reflexis.

In omni vero casu sive subsit error, sive non, verum est sequendam esse opinionem propriam ultimam et practicam (quæ eo ipso, consequenter ad assensum, erit probabilior); quia secus ageretur contra conscientiam quod semper malum est. Et hic verus sensus est antiquorum.

234. Ut igitur aliquid hac in re efficiatur adversus nostram doctrinam, oporteret probare antiquos excludere principia illa reflexa, vel saltem ea penitus ignorasse; quod nemo præstabit ut mox dicemus; imo eosdem exigere ut illud sequamur quod objective et antecedenter est probabilius, hoc autem non obtinet, ut jam vidimus et porro in sequentibus videbimus, cum de opinione formanda, ex quibuscumque rationibus sive directis sive indirectis id fiat, et de probabilitate et prudentia opinionis in subjecto non de mere objectiva probabilitate, loquantur. Merito Terillus :

« Sunt, fateor, plures ex Antiquis, qui expresse dicunt hominem, ut excusetur debere sectari vel tutiora, vel probabiliora; verum illi, uti jam dictum est, non loquuntur de majore probabilitate solum directa et certa se tenente ex parte objecti, sed tantum de probabilitate se tenente ex parte actus hominis operantis, nec aliud exigunt quam quod operans probabiliter reputet suam actionem esse licitam, adeoque ex rationabili motivo feratur in illam tamquam in partem probabiliorem, imo et absolute veram. At nos hoc ipsum exigimus, necesse enim est, ut quis formet prudens dictamen conscientiæ, quo credat objectum in quod fertur esse licitum, alioquin excusari non poterit, quia *quod non est ex fide, peccatum est*. Porro suum cuique opinatum probabilius est opposito, ut per se patet et docte observat Adrianus *quodl.* 2 (1). Itaque per hunc loquendi modum Antiqui non adversantur benignæ sententiæ, sed in omnibus ad amussim nobiscum sentiunt » (2).

Duo tantum statuunt :
1m Formandam esse conscientiam excludendo formale dubium.
2m Id fieri per opinionem probabilem.

235. Neque putemus antiquos excludere principia reflexa. Quod enim non excludant explicite, evidens est, cum non agitaretur illa controversia de ejusmodi principiis. « Certum est a nemine quæstionem hanc reflexam sub his terminis *an liceat sequi opinionem directe minus probabilem, minusque tutam*, fuisse propositam, neque enim suas resolutiones ad unius generis argumenta restringebant, ut nos majoris claritatis gratia nunc facimus in quæstione hac reflexa, sed ad omnia omnino reflectebant, et si illa apud aliquem ita prævalebant, ut probabiliter crederet se honeste operari, illum tutum pronunciabant » (3). Et revera objective rem conside-

Nec excludunt principia dicta reflexa.

Non explicite.

(1) Inter quodl. anni 1488, *quodl.* 2, punct. 3, in resp. ad rationes oppos., *ad secundam.*

(2) Op. cit. Q. XXII, n. 40. Cf. Laymann, l. I, tract. I, c. V, n. 31 in fine, qui eodem modo loquitur, quamvis sit certe Probabilista : « Cæterum si quis probabilius esse arbitretur adeoque opinetur se votum executum fuisse... arbitror eum ab obligatione immunem esse ». Similiter tr. IV, c. XX, n. 5. — Vide simul quæ de Laymann observavimus supra sect. Ia, c. 2, § V, n. 169, nota (1).

(3) Ibidem, n. 38. Cf. etiam n. 68, n. 181, nn. 214-216. Cæterum legi meretur tota quæstio illa XXII$_a$, ubi citantur auctores et referuntur eorum

rando, major probabilitas per se et directe non excludit periculum peccati materialis; ac præterea difficillime constare potest aliquid quod probabilius apparet, a parte rei vere et certo probabilius esse, etiam ubi de probabilitate certo constat. Adjicimus verba Terilli totam suam disputationem de sensu antiquorum concludentis : « Antiqui unanimiter docuerunt, quemque secure sectari partem quamvis, quæ ipsi apparet probabilior altera; hoc nos docemus et scimus inveniri in usu benignæ sententiæ, si rationes et autoritates reflexæ considerentur. Antiqui dixerunt sequi partem tutiorem esse quidem consilium non præceptum; sic enim Sylvester, sic S. Antoninus, sic Nyder, sic Gerson, expresse loquitur, et S. Bonaventura dicit usum partis tutioris esse consulendum. Idipsum et nos docemus. Antiqui, ut Viguerius, Sylvester, S. Antoninus, Jo. Nyder et S. Bonaventura aut expresse asserunt aut aperte supponunt, in præsenti quæstione ac materia nullam fuisse opinionum diversitatem, sed omnes in eo convenire, quod cuique liceat sequi opinionem minus tutam, si in ejus veritate animum firmet, et probabili judicio reputet oppositam esse falsam. Albertus M., Jo. Nyder, S. Antoninus, Sylvester et Panormitanus in *cap. Capellanus de Feriis* cum Glossa, Angelus aliique dicunt, hominem excusabilem esse et non peccare in materia fidei et morum, quando res est incerta, si adhæreat opinioni celebris Doctoris, modo illa nec S. Scripturæ nec determinationi Ecclesiæ repugnet. Maxime vero si absoluto judicio se figat in illa parte, eamque veram reputet. At hæc omnia conveniunt opinioni directe minus probabili, si reflexe consideretur, ergo licet illam sequi juxta sensum antiquorum. Demum Paludanus (1), Nyder, Antoninus, Sylvester, Adrianus, Navarrus, aliique complures docent, pœnitentem, *Nec implicite.*

verba; ideoque nos brevitatis causa remittendo ad Terillum, a recitandis auctoribus abstinuimus, ibidem enim omnia copiose exhibet ille quibus de illorum doctrina, simulque de interpretatione ejusdem Terilli judicium ferre possis, et argumentum ex auctoritate pro systemate nostro deducere.

(1) L. 4, dist. 17, q. 2, a. 1, reliquos vide apud Terillum, Q. XXII jam indicata.

qui in re incerta de honestate alicujus contractus secutus est sententiam Doctorum, dicentium contractum illum esse licitum, licite absolvi posse a confessario contrarium tenente, quia pœnitens habet jus sectandi opinionem probabilem Doctorum » (1).

Nec eadem ignorarunt, ut ostendit doctrina S. Thomæ communis modernis et antiquis.

236. Inde sufficienter constat neque implicite exclusisse antiquos principia reflexa, sed nec eadem ignorarunt. Quid enim aliud continetur quam illa ipsa principia in doctrina S. Thomæ de necessitate promulgationis, et scientiæ applicantis legem, collata hac altera doctrina (2) : scientiam et opinionem non posse simul esse, adeoque ubi lex est probabilis eam non esse certam, et ubi probabiliter tantum applicatur eo ipso defectu scientiæ non applicari. Hæc autem doctrina communis est antiquorum et recentiorum. Solum discrimen est quod ante exortam controversiam non agerent explicite de principiis directis et indirectis, sed tantum conscientiam esse formandam et excludendum formale dubium statuerent, idque fieri omnes consentirent quando quis, quocumque modo sive directe sive indirecte, sibi probabilem seu prudentem opinionem, omnibus inspectis, efformare potest de honestate suæ operationis. Quod cum nemo negaret, non ulterius insistebant ut demonstrarent quomodo qui probabiliter operatur certo prudenter operatur et indirecte veram proprie dictam certitudinem de honestate actionis suæ habet; quin potius dicunt opinionem esse certitudinem in re morali requisitam (3).

Clare idem ostenditur exemplo.

237. Imo exemplum adducere possumus, ubi antiqui sicut nos, ex probabilitate liceitatis actionis, etiam in concursu majoris probabilitatis pro illiceitate, concludunt certo licere illam actionem. Pone aliquid præcipi a superiore quod probabilius etiam posito mandato est illicitum, resolvunt antiqui esse nihilominus obediendum a subdito nisi certo constet de

(1) Eadem Q. XXII, n. 182.

(2) Vide Sylvium supra cit. ad n. 222; S. Thomam, lect. ult. i. e. 44_a in l. 1 *Poster.*, et Q. 14 *de Verit.*, a. 9, ad 6^m.

(3) Vide v. g. Summistas passim v. *opinio*.

illiceitate, et tamen ipsi etiam tenent non licere agere contra conscientiam adeoque non licere subdito obedire cum dubio an possit ; sed dicunt subditum conscientiam formare posse et debere. Jamvero nulla potest esse obligatio ad illud quod est illicitum : ergo quod est probabilius illicitum, est tamen certo licitum, nec licitum fit quia præcipitur, ut patet, sed quia non constat de lege prohibente hic et nunc applicata, ideo est licitum. Ecce putus Probabilismus. Cæterum non tantum de præcepto ita loquuntur sed de ordinatione etiam et consilio præpositorum.

Idem constat ex hoc, quod in opinione agnoscant ignorantiam invincibilem.

238. Tandem sicut moderni ita et antiqui agnoscunt in opinione probabili ignorantiam invincibilem quæ certo excusat. Aliquos Terillus recenset, quos supra (1) explicavit : « qui expresse », ait, « agnoscunt ignorantiam invincibilem in opinione hi sunt, Franciscus Victoria (2), Conradus, *de contract. quæst.* 100, Sylvester, *v. opinio*, Adrianus, *tract. de rest.* § *circa hæc occurrit dubium*, Major, *in* 4, *dist.* 12, Corduba, *l.* 2, *de ignor. quæst.* 3, Angelus, *v. opinio*, num. 2. Idem docet S. Antoninus ex Guillelmo *in glossa Raymundi*, Panormitanus *in cap. Capell. de Feriis*, num. 6, Joannes Nyder, et Ulricus apud eumdem » (3).

Evolutio systematum solvendi dubii.

239. Si igitur evolutionem systematum solvendi dubii historice prosequi velimus, plures oportet distinguere epochas. Hoc tamen argumentum nonnisi breviter attingere possumus, ne nobis præfixos limites nimis prætergrediamur (4). Prima epocha distingui potest ævum Patrum usque ad origines theologiæ scholasticæ. Hoc autem tempore in praxi viguisse et implicite agnita fuisse quæ nos exposuimus principia, optime demonstrant auctores quos in nota citamus, ita ut merito duobus verbis, quæ fundamentum doc-

Epocha 1. Ævum Patrum.

Agnitio doctrinæ nostræ, practica et implicita.

(1) Q. XXII.

(2) In summa, Q. 177; et in *Retect.*, rel. 5, n. 5, nn. 8 et 9, ubi remittit ad 1m 2æ, in materia de ignorantia. Addi potest Sinnichius ipse expresse : si ignorantia excuset, et probabilitatem excusare, in *Saute*, l. 1, c. 96, § 358.

(3) Q. XXIII, n. 110.

(4) Vid. Bouquillon, *De Conscientia.* nn. 340 sqq., et auctores ibidem citatos inter quos Terillum, *De Consc. probabili*, QQ. XXII et XXVI-XXIX.

trinæ nostræ exhibent, S. Gregorius Nazianzenus illius ævi sententiam complecti dici possit; ita loquitur adversus Novatianum quemdam negantem liceitatem matrimonii viduarum christianarum : « Aut rem ita se habere proba : aut, si id nequis, ne condemnes. Quod si res dubia est, vincat humanitas et facilitas » (1).

Epocha 2. Schola antiqua. Idem, cum majori evolutione principiorum.

240. Secunda epocha est antiquorum Scholasticorum usque ad sæculum decimum sextum exiens. Hac epocha, celeberrimorum Doctorum mira eruditione theologia universa, tum dogmatica tum moralis, scientifica methodo et tractatione continua fuit exposita, et ita in specie doctrina de lege ejusque promulgatione, de scientia eamdem applicante, de conscientia regula proxima actuum humanorum dilucide proposita fuit. Cum tamen nulla esset controversia de formanda conscientia universim, duo tantum constanter, quod ad quæstionem nostram spectat, occurrunt : in dubio formandam esse conscientiam seu non licere agere cum dubitatione formali; non esse dubium ubi quis vere probabilem sibi opinionem efficiat. Adeoque de hac epocha præcipue verificantur quæ de antiquis disputavimus.

Epocha 3. Propositio explicita et controversiæ initium.

241. Tertia epocha incipit cum Bartholomæo de Medina qui anno 1577 explicitius Probabilismum proposuit : « nascitur magna quæstio : utrum teneamur sequi opinionem probabiliorem, relicta probabili, an satis sit sequi opinionem probabilem » (2). Quod autem hac de re nulla fuerit omnino dissensio, ut quidam affirmant, non videtur dici posse, cum ipse Medina, posita primum triplici conclusione de qua quoad rei substantiam nullam injicit controversiæ mentionem, prima : si quis agat secundum opinionem de qua dubitat an sit probabilis, peccatum committit; secunda : quando utraque opinio tam propria quam opposita est æque probabilis, licitum est indifferenter utramque sequi; tertia : aliquando tenemur agere contra propriam opinionem; quando tamen devenit ad præsentem quam citavimus quæs-

Doctrina Barth. Medinæ.

(1) Or. 39 *in sancta lumina*, n. 19, edit. Migne.

(2) In 1m 2æ, Q. 19, aa. 5 et 6; Coloniæ Agripp., 1619.

tionem, contra adducat Sotum, Sylvest., Conrad. et Cajet. (1) cum quatuor argumentis. Hoc autem modo ipse solvit : « mihi videtur quod si est opinio probabilis, licitum est eam sequi, licet opposita probabilior sit : nam opinio probabilis in speculativis ea est, quam possumus sequi sine periculo erroris et deceptionis, ergo opinio probabilis in practicis ea est quam possumus sequi sine periculo peccandi. Secundo, opinio probabilis ex eo dicitur probabilis, quod possumus eam sequi sine reprehensione et vituperatione : ergo implicat contradictionem quod sit probabilis et quod non possumus eam licite sequi. Antecedens probatur : nam opinio non dicitur probabilis, ex eo quod in ejus favorem adducantur rationes apparentes, et quod habeat assertores et defensores, nam isto pacto omnes errores essent opiniones probabiles : sed ea opinio probabilis est, quam asserunt viri sapientes, et confirmant optima argumenta, quæ sequi, nihil improbabile est... Tertio, opinio probabilis est conformis rectæ rationi, et existimationi virorum prudentum et sapientium : ergo eam sequi non est peccatum, consequentia evidens est et probatur antecedens : nam si sit contra rationem, opinio probabilis non est sed error manifestus. *Sed dices*, esse quidem rectæ rationi conformem, tamen quia opinio probabilior est conformior, et securior, obligamur eam sequi. *Contra est argumentum*. Nam nemo obligatur ad id quod perfectius est... Quinto, licitum est opinionem probabilem in scholis docere et proponere, ut etiam adversarii nobis concedent; ergo licitum est eam consulere. Idem confirmatur. Nam licitum est interius assentiri huic conclusioni, ergo licitum est exterius eam proponere. Item non potest confessor cogere pœnitentem ut sequatur opinionem probabiliorem, ergo non est obligatio ad sequendam opinionem probabiliorem. Antecedens ex prædictis manifestum est. Ultimo, opposita sententia cruciat

(1) Verum est tamen, quod illorum DD. auctoritatem spectat, Medinam minus recte ad eam provocare, qua de re vide supra quæ ex Terilli op. cit. Q. XXII adduximus, hancque ipsam Terilli disputationem.

animos timoratos : nam semper oporteret inquirere quænam sit opinio probabilior, quod timorati viri numquam faciunt ».

« Ad argumenta in contrarium et *ad primum* » [quod ita homo se exponat periculo peccandi] « respondetur, quod cum posse sequi opinionem probabilem apud viros sapientes certum sit » [*notemus*], « qui operatur secundum opinionem probabilem, non se exponit periculo peccandi. *Ad secundum* respondetur verum esse quod in dubio tutior pars est eligenda, quando utraque periculosa est » [i. e. quando in utraque dubitatur de peccato et non potest dubium deponi, juxta supra dicta ab auctore] « cæterum licet opinio probabilior, tutior sit, probabilis est secura et tuta, et non habet periculum. *Ad tertium argumentum* » [quod in dubio præcedente, si neutra pars tuta sit, sequenda est minus periculosa seu quæ majoribus rationibus fulcitur] « respondetur, quod illud quod supra dictum est, non adversatur nostræ sententiæ, nam illud est verum, quando ex utraque parte periculum est, sequi vero opinionem probabilem, non est periculum et eodem pacto explicatur *cap. Juvenis*... *Ad ultimum argumentum* dicendum est, quod quando altera pars litigantium affert pro se probabiliora testimonia, non dicit opinio probabilis quod liceat judici contra eum sententiam pronunciare, quod autem hactenus docuimus hoc est, quod quando sunt duæ opiniones in jure, altera probabilis, altera probabilior, licitum est judici probabilem amplecti, atvero quando de facto adducuntur testimonia probabiliora, secundum ea pronunciandum est ».

Hæc ex integro voluimus exscribere, ut facilius declarare possemus, quomodo doctrina Medinæ se habeat et transitum faciat ad novum stadium in evolutione systematis moralis quod defendimus.

242. Dicimus itaque 1° : cum apud antiquiores sermo esset de opinione probabili præcise ex parte opinantis, qua nimirum subjectum agens prudenter reputet actionem aliquam sibi licere, nihil ipsos de probabilitate objectiva directe dixisse, an antecedenter ad assensum probabilem subjecti, probabilius aut minus probabile sit sequendum; ideoque

diximus non esse accipienda eorum asserta sensu Probabiliorismi licet suum cuique opinatum sit probabilius, nisi probetur non posse dari assensum nisi parti antecedenter probabiliori, quod negamus, imo et illos ita sensisse ; neque propositam fuisse addimus quæstionem : an liceat ex duobus opinionibus objective consideratis, eligere minus probabilem.

2° Medina vero, qui quidem de formanda conscientia modo subjectivo et reflexo adhuc agit, necdum aliam methodum qua, suspenso etiam assensu et considerata tantum objectiva probabilitate, concluditur obligatio incerta, inducit : opiniones tamen objective considerat, et quæstionem de qua dicebamus explicite proponit, adeoque et supponit physice posse assensum dari minus probabili et probat id licere.

3° Hoc autem ostendit inhærendo pressius antiquis et methodo reflexæ formandi conscientiam, adeoque demonstrando principium istud reflexum synteresis debite intellectum : qui probabiliter agit, prudenter agit et non peccat. Ex discussione autem hujus principii, orta est alia methodus objectiva, cum principiis indirecte probantibus certitudinem liceitatis cujuscumque opinionis directe probabilis practice. Utramque Terillus, alter ille Probabilistarum antesignanus, fere post sæculum, luculenter exhibet et solide demonstrat.

Epocha 4. Controversia acris adversus Rigidos, et explicita propositio principiorum quæ reflexa Probabilismi principia vocantur.

243. Quum igitur explicite proposuisset Probabilismum Medina non statim exorta est acris controversia, sed nondum perspecta distinctione utriusque modi formandi conscientiam, pro diverso modo intelligendi antiquos, aliqua potius dissensio pacifica tum in modo loquendi, tum etiam forte in stabiliendis principiis et theoretice, potius quam in applicatione et praxi. Sed bellum indixerunt Rigidi, eo tempore præsertim quo late diffundi cœpit Jansenismi virus. Et tum recte sapientes Doctores duplicem inierunt viam : alii antiquorum vestigiis et methodo subjectivæ inhærentes sed confusione sæpius indicata decepti, quasi pars objective et antecedenter ad assensum probabilior sequenda sit, Probabiliorismum invexerunt, existimantes se et verum proponere systema morale quodque in Ecclesia semper viguerat,

et efficaciter rigidos impugnare, cum in utraque re, ut nos putamus, deficerent; alii vero methodum antiquorum propugnaverunt, simul vero ulterius progressi ad ipsa ejus fundamenta, quæ principiis ut vocant reflexis seu potius indirectis continentur, methodum objectivam potissimum excoluerunt. Idque præ cæteris præclare præstitit Terillus (1). Hæc periodus perduravit usque ad S. Alphonsum de Ligorio qui practicum Jansenismum devicit. Post ipsum incipit nova epocha, qua antiqua Probabilismi principia iterum communiter admitti et clariori in luce collocari cœperunt.

Epocha 5. Propositio et demonstratio Probabilismi completa, ejusque applicatio constans.

244. In hac ultima epocha tandem complete et dilucide propositum et demonstratum fuit totum Probabilismi systema. Sanctus enim Alphonsus (2), quamquam acerrimus

(1) Vide opus sæpius citatum, Q. XXIII.

(2) De cujus morali systemate vide præclare notata apud Bouquillon, op. cit., n. 344, nota (1) in pag. 300. — Qui hanc de doctrina S. Alphonsi quæstionem facti, cujus examen nos longius abduceret, ex professo indagare cupiat, adeat ipsa opera S. Alphonsi, quorum elenchum ad Probabilismum spectantium reperiet apud Van Reeth, O Præm., *De Probabilismo S. Alphonsi, Doctoris Ecclesiæ, quæstio facti et juris*,(Brux., Lebrocquy, 1875), in tom. 1, Introd. Gen. art. 2; et in *Vindiciis Alphonsianis* (Romæ, 1873), part. 1, cap. 2; necnon in earumdem « *Vindiciarum editionis alter Præfatione apolog.*, in 2ª diss. de mor. syst. S. Alphonsi, § I, art. 1; coll. tamen omnino l. infra in textu cit. edit. Gury, de Prop. Fide, 1872. Ex quibus lector ipse judicare poterit an rectum sit nostrum quod brevissime protulimus generale judicium. — Cum autem hisce temporibus multum hac de re disputatum fuerit, nolumus non indicare saltem varias systematis S. Alphonsi interpretationes, quamquam majori forte animorum æstu quam scientiæ profectu prolatas et abundantiora quam utiliora lectoribus offerentes; has itaque habes : *Vindicias Alph.*, modo citatas, quas secutæ sunt *Vindiciæ Ballerinianæ... insunt dissertatio Ballerini de systemate morali S. Alp.* (*a.* 1863) *et altera diss. de Probabilismo et Æquiprobabilismo ejusdem S. Doctoris*, (Brux., 1873); *Vind. Alp. edit.* 2æ *Præfatio Apolog., accedunt diss. de auctoritate doctrinæ S. Alph. et altera diss. de morali systemate S. Doctoris.* (Brux., 1874); Van Reeth, modo citatus, apud quem tom. 1, part. 1, tract. 1, Prolog. cap. 1, art. 1 et 4 plurimos citatos invenies qui sive ante sive post colluctationem vindicum, eadem de re scripserunt.— Nemo igitur miretur nos ab iis controversiis abstinere, eo vel magis quod ne in ipsa quidem generali quæstione juris polemicum systematum examen voluimus instituere, sed, ex ipsis principiis moralibus scientifice deducere ac demonstrare verum systema solvendi dubii in re morali, hic nobis fuerit scopus.

illius systematis propugnator, ab una parte tamen, quod spectat quæstionem historicam quomodo de facto S. Doctor tum in definiendis gradibus probabilitatis tum in exponendo et probando systemate Probabilismi processerit, videtur dicendum eum pro diverso tempore modum loquendi immutasse; ab altera vero parte, ut nobis saltem videtur, quod attinet quæstionem juris seu inspectis principiis Probabilismi, ut eum demonstravimus, quidquid spectat ad obligationem objectivam incertam optime quidem exposuit et constanter applicavit, quod vero attinet ad obligationis ejusdem transitum in subjectivam, seu defectum scientiæ applicantis eam obligationem, (quam tamen doctrinam ex S. Thoma desumit et evolvit) aliquid ei defuerit : in illis enim quæstionibus de legis impletione, de impletione voti, pœnitentiæ sacramentalis, non semper eodem modo respondet, nec unum fixum et certum principium videtur ante oculos habuisse. Sed hoc opportunius in specialibus applicationibus exponemus. Quod autem dicebamus eum, historice loquendo, aliqualiter variasse, ex hoc apparet quod primum exposuerit veterem Probabilismum, postea vero maxime egerit de Æquiprobabilismo, quamquam non dicimus eum quoad substantiam recedere intendisse a communi Probabilistarum doctrina. Deinde in modo saltem loquendi aliquid tribuit Probabilioristis, hisce formulis : non licere sequi opinionem minus probabilem, cum opinio quæ stat pro lege est notabiliter et certo probabilior. Quoad rem ipsam tamen, opinio illa notabiliter probabilior ipsi æquivalet opinioni quasi moraliter certæ, opposita enim non est nisi tenuiter et dubie probabilis. Cæterum satis difficile videtur accurate sensum S. Doctoris perspicere, quæ difficultas duplicem originem fere habet : defectum quemdam unitatis in modo loquendi seu constituendis notionibus probabilitatis ejusque graduum; et aliam extrinsecam, quæ prioris causa fuit : necessitatem declinandi notam laxitatis apud invidiosos et inquietos impugnatores. Quidquid autem sit de modo loquendi S. Doctoris, de quo utiliter leges locum in nota (2) citatum, et editionis Gury ex typis S. C. de Propaganda

(2) in praecedente pag.

Fide, a. 1872, *dissertationem proœmialem de Compendii hujus concordantia cum morali systemate Ligoriano;* ipse certe omnibus inspectis, Probabilismi propugnator illustris, atque Rigorismi practici debellator haberi debet. Hoc tamen nequaquam impedit, post S. Doctorem, Probabilismum quoad utramque suam partem, ut ita loquar, tum videlicet in probabilitate circa legem obligationemque objectivam, ubi valet : *lex dubia non obligat;* tum in probabilitate circa applicationem obligationis objectivæ ipsi subjecto, ubi valet : *obligatio objectiva in actu secundo non ligat, nisi per scientiam seu conscientiam;* fuisse propositum et demonstratum completius, lucidius; fuisse applicatum strictius, certius, constantius.

FINIS PARTIS SECUNDÆ.

PARS TERTIA.

PRACTICA.

APPLICATIO PRINCIPIORUM.

SECTIO PRIOR.

GENERALITER OBSERVANDA.

Caput Primum.

QUID SIBI VELIT TRITUM DICTERIUM : *PRAXIS DIFFERT A SPECULATIONE.*

245. Cum hanc partem practicam inciperemus, nihil opportunius visum fuit quam ut ipsum nexum theoriam inter et praxim indicaremus : hoc autem eo ipso præstiterimus quod quomodo recte, quomodo vero absurde, intelligi possit tritum illud effatum, capiti huic inscriptum, breviter ostenderimus. Toto cœlo a vero aberraret qui ita intelligeret ut quæ theoretice proponuntur non sint applicabilia in praxi; si enim quæ in abstracto scientifice proponuntur, et quæ in concreto in casu determinato applicantur, a se invicem ita discrepant ut hæc ex illis prudenti consideratione, quæ et ipsa ad doctrinam pertinet, deduci nequeant, tum, si legitima sit solutio practica eo ipso falsa demonstratur et inepta theoria, si vero hæc sit vera nulla potest ab ea legitima praxis aberrare. Verum quidem est theoriam seu doctrinam

morum sub duplici respectu considerari posse, prout tendit mere ad cognoscendam aliquam veritatem in re morali, sub quo respectu dicitur mere speculativa; vel prout ad dirigendam actionem adhibetur, quo sub respectu, quamvis in se in speculando consistat sed circa practica et in ordine ad praxim, dicitur practica. Hac de re satis superque supra, ubi diximus distinguendum esse inter rationem speculativam et practicam, inter dubia speculativa et practica, inter verum et licitum : quatenus speculative veritatem directe non certo attingens, inspectis aliis principiis indirectis et reflexis ad praxim certo honestam pervenias. Sed hic non praxis differt a speculatione, sed speculatio distinguitur in mere talem, et practicam seu formaliter ut dirigentem praxim. Et praxis ut sit legitima conformis sit oportet speculanti rationi practicæ. Si alio sensu intellexeris dictum axioma : ut præter scientiam moralem ex probatis auctoribus et propria industria atque meditatione haustam, multum conducat habitus ille prudentiæ qui studio simul et experientia rerum acquiritur, ad debitam principiorum speculative cognitorum applicationem practicam, et hoc sensu enunties : præter scientiam mere speculativam opus esse habitu illo prudentiæ et sensu theologico practico ut scientia recte utaris, optime dixeris. Ita enim differt praxis a speculatione, quod ipsa theoria per se omnia quidem principia solvendi alicujus casus universim subministrat, non tamen determinate et expresse indicare potest quæ ex hisce principiis in singulis adjunctis hic et nunc sint applicanda. Qui itaque illa prudentia caret, principia undequaque inconcussa haud recte applicans, casum male solvet, non quasi theoretica et practica sibi non respondeant, sed ipse haud recte judicet quodnam principium ad praxim applicari postulet, aut conclusionem ex pluribus deducendam non recte deducat, aut cum inspectis omnibus adjunctis determinata solutio postulatur, ipse quibusdam tantum ponderatis alienam a re præsenti afferat. Quod obvia similitudine declaratur inter medicum spiritualem et corporalem. Pone enim duos medicos scientia theoretica

Nexus theoriam inter et praxim.

corpora medendi æque insignes, quorum alter præterea multorum annorum experientia artem suam multiplicibus occurrentibus casibus applicare didicit : hic certe majori securitate ac facilitate et morbi naturam et modum curandi deprehendet minusque obnoxius erit errori. Hæc tamen nequaquam cum altero. cui deficit experientia habitusque practicus, erit discriminis causa : quod theoria non satis describat morbos remediaque proponat, aut illa scientia careat alter cum æque doctum ponamus, sed cum ex pluribus signis, pluribus sæpe morbis communibus, oporteat in casu determinato morbum dignoscere, atque multiplicia personæ, ætatis, vivendi consuetudinis, aliaque adjuncta simul inspicere, quæ sæpenumero diversæ naturæ morbum indicare, aut diversæ gravitatis in diversis subjectis possunt, multo facilius erit in hisce errare minus expertum. Sufficienter intelligitur cum animorum medico paritas, ut ulterius non instemus.

246. Liceat tamen tria magnopere hac in re moralistæ cavenda significare : 1° ne solis auctorum conclusionibus inhærendo verum principiorum intellectum non attingamus, indeque ea passim ita applicemus ut neglecta adjunctorum particularium consideratione, una quasi formula casus quocumque modo similes solutos putemus; 2° ne in solutione casuum quorumdam specialium totam scientiam moralem reponentes, eos ubique recurrere ubi quædam similitudo apparet, existimemus; 3° ne, stabilito quidem et intellecto vero systemate morali, in quæstione facti tamen erremus, ita ut quibusdam ratiunculis decepti omnia probabilia deprehendamus, practicam etiam cum speculativa probabilitate confundamus, et ita systemati vero et sano, laxitatis suspicionem apud alios injiciamus, quæ nota soli tamen imprudentiæ nostræ inuri mereretur. *Tria magnopere cavenda.*

247. Ne igitur ex dicterio illo concludamus : studium speculativarum quæstionum, fundamenta rei moralis exhibentium, scientiamque vere solidam ad praxim haud multum conducere, sed habitu practico et experientia omnia suppleri; cum prærequiratur omnino scientia ad hoc ut quis

habitum illum et sensum practicum acquirere possit, nulla enim experientia et prudentia ubi repetitæ applicationes non fuerint juxta sana principia et deliberatione scientifica factæ.

Sed hoc sensu differt praxis a speculatione, quod in casu urgente, cum sufficiens deliberandi tempus et recolendi varia principia deficit, extemplo poterit ex habitu prudentiali difficultas solvi, ubi secus etiam scientia instructus, deficiente autem habitu illo, dubius hæreret.

Modus agendi in casu urgente.

248. Cæterum de similibus adjunctis urgentis necessitatis praxim ipsa præcedit theoria, cum doctores modum agendi in illis proponant. Docent etenim, licet per se loquendo non sufficiat ad se determinandum opinio non evidenter falsa et omni probabilitate non destituta, quia non est prudentis viri in tantas augustias se redigere, posse tamen licitum esse ex accidenti, sequi talem opinionem in duplici fere casu : « Primo, quando urget subito aliquis casus, neque tunc potest adhiberi major diligentia ad intellectum rationibus probabilibus determinandum. Secundo, quando imminet aliquod damnum aut periculum, nisi operatio ex illa opinione fiat. In primo casu si adhibeatur diligentia, quæ tunc potest pro loco et tempore ad intellectum determinandum, satis prudenter determinatur, et omnis alia ignorantia tunc est invincibilis et excusat (1). In secundo casu, magnitudo ipsa periculi aut incommodi quod imminet, facit ut talis opinio pro tali casu judicetur rationabilis, quæ alioqui non esset extra talem casum : et hoc modo infanti periclitanti in utero rationabiliter et prudenter datur baptismus etiam in sola extremitate digiti, si hæc sola appareat » (intellige : si medium aptius desit, unde exemplum hoc hodiedum forte non est ad rem). « ... Quod autem diximus de opinione parum probabili... idem est dicendum etiam de opinione parum tuta. Fieri enim potest ut ex accidenti evadat tutissima, si non potest per majorem diligentiam haberi tutior, vel urgeat grave damnum, vel periculum, quod solum

(1) Cf. Laymann, lib. 1, tr. 4, cap. 20, n. 4; et AA. ibidem citatos.

in illa parum tuta opinione potest vitari. Et hoc modo, qui est constitutus in articulo mortis tutissime confitetur confessario dubio aut probabili, i. e. illi quem solum probabiliter scit esse ordinatum, et de quo etiam habet formidinem quod non sit ordinatus : et qui non potest aliter baptizare infantem periclitantem in utero, nisi adhibendo guttam aquæ ad extremum digiti, tutissime facit, si sic baptizat, quamvis hujusmodi ablutio sit solum materia probabilis... Et in primo casu de quo dictum est, de confessario solum probabili, recte notat Suarez, *de Sacram.* tom. 3, disp. 16, sect. 1, quod neque etiam ipse confessarius peccat, si solum probabiliter putans se esse ordinatum, sacramentaliter absolvat in casu necessitatis... » (Hancque doctrinam communiter tradunt Doctores). « Hinc si confessarius deberet absolvere confitentem in articulo mortis constitutum, habentem casus difficiles et intricatos, et ipse non sit in rebus moralibus ita versatus, ut sciat quid circa illos casus doceant Doctores, tunc resolvere potest juxta id, quod sibi eo tempore probabile vel aliquo modo probabile videatur, ac proinde in similibus casibus sufficit quod quisque resolvat, prout potest et probabiliter judicat resolvendum, cum nemo ad impossibile teneatur : et quod tunc facit recte fit, quia ita operatur ex justa et rationabili causa et prudenter (quantum potest) et ita secundum dictamen rectæ rationis. Quare in eo casu post adhibitam dictam diligentiam ignorantia manens est involuntaria et inculpabilis » (hic et nunc, intellige, et in se ; si vero dicta ignorantia ex negligentia oriretur, eo ipso esset culpabilis in causa, et licet non peccaret confessarius hic et nunc, resolvendo cum illa ignorantia, peccasset tamen cum voluntarie causam posuisset talis angustiæ, i. e. ignorantiam non depulisset suo tempore) « et ideo practice nullum est peccati periculum : quia cum instet gravis necessitas, potest quis sequi aliquam rationem parum probabilem, non destitutam tamen omni probabilitate, neque aperte falsam : quia tunc homo non agit temere sed prudenter et ex rationabili causa. Ita Sanchez, l. 1 *Mor.*,

cap. 9, n. 25 (1), Reginald., l. 13, c. 10, n. 102 et l. 11, c. 3, n. 29; Greg. de Valen., tom. 2, disp. 2, q. 14, p. 4; Salas, l. 2, disp. unic., sect. 5, n. 44; Hieronym. Pharaho, tr. 1, sect. 3, casu 4; Bresserus, *de Consc.*, l. 3, c. 4, n. 49; Suarez, *de Cens.*, disp. 40, sect. 5, n. 13; Villalob., part. 1, tract. 1, diss. 8; Laymann, l. 1, tr. 1, c. 5, n. 13 ».

« Quod si ob urgentem necessitatem operandi non potuisset omnem diligentiam adhibere, quæ alioquin extra talem casum erat adhibenda, postea extra hanc necessitatem constitutus et nactus opportunitatem, tenebitur majorem adhibere diligentiam ad investigandam veritatem » (2) (tum pro casibus quæ in futuro occurrere possunt, tum pro casu præterito, si aliquid possit suppleri aut corrigi).

249. Sed transeamus jam ad adjuncta ordinaria, in quibus post debitum examen casus sit resolvendus : atque hic statim apparebit quomodo applicanda sint quæ exposuimus principia solvendi dubii, adeoque theoriæ praxis accurate respondeat.

Caput Secundum.

GENERALIS MODUS PROCEDENDI IN APPLICANDIS PRINCIPIIS DE SOLVENDO DUBIO.

250. Ponimus itaque aliquem incertum quid hic et nunc sit agendum : an hæc actio liceat, vel obligatio sit hanc actionem ponendi hic et nunc.

Ex antea disputatis, hæc habemus : primum quod conscientia dictabit, reflexione facta in statum suæ mentis seu in incertitudinem, hoc erit : cum hac formali dubitatione non licere id agere de cujus liceitate dubitat, non licere omittere actionem definitive de cujus dubitat obligatione : sed rem esse examinandam. Hucusque est incertitudo practica mere subjectiva.

(1) Cf. c. 10, nn. 4 et 8.

(2) Ita J. Rossell, opusc. citato, c. 43.

Sequitur itaque examen seu reflexio ontologica in causam dubitationis; porro fieri potest ut statim deprehendatur futilem esse causam dubitandi et irrationabilem, dubiumque objectivum non adesse sed mere apparens et subjectivum, adeoque esse omnino negligendum. *Primum est, in dubio, ut res examinetur.*

251. Sed si vere causa subsit incertitudini practicæ, illa causa erit ejusdem gradus incertitudo vel de ipsa existentia obligationis objectivæ vitandi vel ponendi actum, vel de applicatione ejusdem actu facienda ipsi agenti seu de obligatione subjectiva. Parum autem refert utrum directe menti incidat hæc incertitudo quæ causa est incertitudinis practicæ, nunc autem post conscientiam illius incertitudinis practicæ et obligationis proinde examinandi, ad illam causam reflexione ontologica regrediatur intellectus; utrum vero ab ipsa practica incertitudine inceperit mentis hæsitatio et nunc primum ad originem et causam illius mens ascendat : potest enim ut vidimus (1), incertitudo primum directe incidere de ipsa regula seu lege, vel primum et directe de actione ipsa in ordine ad moralitatis regulam; quod sæpius continget, voluntati occurrente aliquo bono ad agendum invitante, de cujus honestate aut liceitate quæritur.

1° Hoc igitur erit primum objectum examinis : utrum (remota irrationabilitate evidente dubitationis) non mere subjective et defectu diligentiæ maneat incertitudo, sed vel publice de re controvertatur ut in dubio juris, et in illo dubio facti quod in dubium juris convertitur, quia de eo expresse agunt doctores; vel saltem dubium ad publicum aliquo modo reducatur ex eo quod constet quemvis sapientem et probum in iisdem adjunctis eodem modo esse dubitaturum, vel tandem constet diligentiam saltem adhibitam fuisse quæ in casu requirebatur et sufficiebat. *1m Objectum examinis : an dubium sit publicum, aut ad publicum reductibile.*

252. 2° Quando constat post examen dubium subsistere, inquirendum est in naturam illius, inspiciendo ipsam ejus originem : potest enim oriri *a)* ex mera absentia motivorum inclinantium in alterutram partem; vel ex motivis levibus, ita ut nonnisi suspicio pro alterutra parte sit possibilis; aut *2m est : an dubium illud publicum sit negativum an positivum.*

(1) Cf. n. 84.

b) ex motivo gravi ex una parte, sufficiente quidem ad præbendum assensum, sed non absque formidine errandi; vel motivis utrimque gravibus sive æqualiter sive pro una parte gravioribus, ita ut certo utraque pars sit probabilis vel etiam una probabilior altera vere tamen probabili; atque ulterius ex imperio voluntatis assentiri possit intellectus alterutri cum formidine tamen errandi.

3ª est : an speculativum an vero practicum.

253. 3° Tertium stadium est accurate investigare circa quodnam præcise objectum versetur dubium quod jam constat tum esse suo modo objectivum, tum cujus naturæ sit; et, si hoc objectum diversum sit a liceitate præcise actionis ut hic et nunc est ponenda vel omittenda, adeoque dubium speculativum sit aut ad summum remote tantum practicum, videndum est an in proxime practicum dubium transeat.

Deinde manet solutio ex principiis expositis.

254. 4° Hisce præstitis, manet solutio ex principiis expositis. Ex dictis manifestum est in omni solutione casus duplicem esse quæstionem : alteram quam facti, alteram quam juris vocare possumus. Prior quam facti vocamus (quamvis ad indagandum illud factum, ut mox patebit, tam quæstiones juris quam quæstiones facti in antecessum solvendæ possint occurrere) hæc est : quousque de facto constet de liceitate aut obligatione actus hic et nunc ponendi. Altera quam juris vocavimus, hæc est : posito illo facto v. gr. quod sit probabilis, dubia liceitas, quid facto opus seu quomodo resolvendum.

Hæc posterior quæstio evidenter spectat ad theologiam moralem generalem, eamque late jam exposuimus.

Prior illa, si de regulis generalibus ad indagandum factum istud agitur eodem loco sedem suam habet, itemque fuse de recognoscendis diversis dubiis egimus. Si vero de moralitate determinatæ actionis secundum dictas regulas inquirenda fiat sermo, ea quæstio specialis est et ad theologiam moralem specialem pertinet, quæ in eo fere versatur ut diversæ leges et præcepta specialia debito ordine et claritate proponantur et explicentur, quousque de singulis obligationibus constet inquiratur, et deinde rectus usus mediorum salutis definiatur (1).

(1) Vide procœmium ad hanc nostram Dissertationem.

255. Quid igitur nobis restat dicendum? Hoc, ut patet, præstare non possumus ut totam theologiam specialem percurrentes quæcumque dubia solvamus. Cum tamen in applicatione principiorum versemur, hanc viam mediam eligemus ut neque considerationes tantum generales de applicandis principiis instituamus, neque tamen more casuistarum exempla tantum quædam afferamus, sed omnia dubia ordinatim solvamus quæ possunt oriri de obligatione per legem, præceptum, votum etc. inducenda, ejusque qualitate ac gravitate, necnon de obligatione variis modis extinguenda, dubia item circa applicationem obligationis seu transitum ejus in subjectivam. Hoc modo nec in infinitum divagabimur, nec tamen a proposito exponendi applicationes practicas deflectemus, et duplex præterea haud spernendum commodum hic procedendi modus secum afferet, ut confirmandis illustrandisque principiis expositis sit aptissimus, et systema quoddam ordinatum exhibeat. *Quæ sint exponenda in sequentibus.*

SECTIO POSTERIOR.

APPLICATIONES PRACTICÆ.

256. Ut rerum in præsenti sectione exponendarum indoles et quem secuturi sumus ordinem rite perspiciatur, liceat breviter quædam animadvertenda præmittere.

Dubia quæ in theologia morali proponuntur, per se sunt speculativa remote tantum practica : fit enim quæstio abstracte de liceitate vel obligatione actuum, ex cujus solutione unusquisque deinde, relate ad actionem quam hic et nunc vult ponere, concludat quid sit faciendum, imo hujusmodi quæstionem sæpe præcedunt aliæ mere speculativæ quas item theologia pertractat v. gr. de valore actus; ex illis autem theologiæ conclusionibus tandem depromuntur dictamina proxime practica seu praxeos directiva. Nos itaque dubia in ordine ad praxim, ut ad ultimas conclusiones deve-

niamus, considerantes, totum processum in superiori sectione indicatum percurrere deberemus : quia vero necesse non est semper in singulis totam viam percurrere et eadem semper repetere :

Ne eadem continuo repetantur, quæ dam ponuntur ut jam habita, et ordo tractandi proponitur.

1° Ponimus jam dubium non esse mere subjectivum; et in solvendis dubiis adhibemus methodum objectivam per principia indirecta, in qua cæteroquin ultima est et radicalis solutio ; adeoque non considerabimus statum mentis, suspicionis, opinionis, qui natus est sequi ex dubiis objectivis.

2° Duplicem faciemus hypothesim ubi agitur de dubio facti et ex eo sequente dubio practico : *a)* quod sit vera probabilitas; *b)* quod sit dubium negativum. Ubi vero de dubio juris agitur, inquiremus quis reipsa sit publice gradus dubii, an sit vera probabilitas, necne.

3° Inquiremus item, ubi id postulabitur, an dubia transeant in reflexa proxime practica.

4° Remanebit tantum solutio ex principiis quæ reflexa seu potius indirecta vocantur, aut traditis ubi de dubio negativo agebamus. Hanc autem solutionem constanter repetere supervacaneum esset, sufficiet itaque ut ostendamus reflexe constare de probabilitate vel dubio vere practicis.

Doctrina universa de lege quam necessaria.

257. Experiemur porro quam necessarium sit ad præsens institutum, ut quis perspectam habeat doctrinam de lege, de natura nempe legis et præcepti, diversarumque eorumdem specierum, de regulis interpretationis, de causis a legis obligatione eximentibus vel excusantibus. Quasdam ex illis notionibus in quantum principiorum generalium expositio postulabat attigimus, atvero nemo a nobis exiget ut ea omnia ex professo pertractemus, iisdem tamen eo potiori jure usuri sumus quod non tam docendi quam potius doctorum judicium subeundi causa scribimus. Ex perfecta autem convenientia atque harmonia principiorum nostrorum de dubiis solvendis cum doctrina universa de legibus ab omnibus admissa, quæ concordia ubique apparebit, nova exurget confirmatio veritatis systematis nostri.

Divisio præsentis sectionis.

258. Quod divisionem præsentis sectionis attinet, hæc notentur. Sicut supra in demonstratione solutionis dubii, de

lege naturæ et de lege positiva ob discrimen ibidem inter utramque indicatum, et de obligatione objectiva et subjectiva separatim egimus, ita hoc loco ob easdem rationes separatim agemus : in capite primo, de dubiis circa obligationem objectivam ex lege aut præcepto positivo, sive inducendam, sive extinguendam; in capite secundo, de dubiis circa obligationem ex lege naturæ; in capite tertio, de dubiis circa applicationem obligationis objectivæ ejusve transitum in subjectivam.

Caput Primum.

DUBIA CIRCA OBLIGATIONEM EX LEGE POSITIVA ET PRÆCEPTO.

§ I. *Quod spectat obligationem inducendam.*

Ut lex aut præceptum constituatur quatuor requiruntur : inde quatuor articuli.

259. Ea quæ ad legem aut præceptum constituenda requiruntur, ad quatuor capita reduci possunt : aliud enim requiritur ex parte illius a quo lex aut præceptum progreditur, aliud ex parte materiæ circa quam versantur, aliud ex parte ipsius formæ legis aut præcepti, et tandem ut respectu alicujus in particulari inducatur obligatio objectiva requiritur in ipso titulus subjectionis. Non enim potest inducere obligationem nisi qui ad hoc auctoritatem habet in subditos, quos ut liget certo modo imponere et manifestare debet suam voluntatem per legem vel præceptum, hæc autem vim ligandi habere nequeunt nisi in quantum justa sunt et juste feruntur. Ut itaque ab initio distincte loquamur, quatuor dubiorum classes in quatuor articulis examini subjicimus. Articulo primo : comprehendimus solum dubium an aliquis vere sit superior seu ullam auctoritatem habeat. Articulo secundo : dubia circa manifestationem auctoritativam voluntatis, auctoritate posita. Articulo tertio : posita vera auctoritate et debita manifestatione, dubia circa materiam legis et præcepti et modum ferendi. Articulo quarto :

positis omnibus requisitis ex parte ipsius legis, aut præcepti, dubia circa titulum subjectionis in quovis individuo homine. Quibus opportune addimus articulum quintum de dubiis circa qualitatem et quantitatem obligationis.

ARTICULUS PRIMUS.

260. Legem ferre aut dare præceptum non potest nisi legitimus superior jurisdictionem ad hoc habens, aut pro præcepto potestatem saltem dominitivam.

Dubium Unicum.

261. Si dubia sit aliquo modo auctoritas, quid dicendum de obedientia præstanda?

Dubium unicum circa ipsam auctoritatem præcipientis solvitur.

De hoc dubio, præter auctores citandos in decursu tractationis, vide Andr. Mendo, *Statera opin. benign.*, diss. 13, q. 15, § 4, n. 236; Amort, *Dict. casuum*, v. *Obedientia*, cas. 4; Sanchez, *in Decal.*, l. 6, c. 3, n. 30, et l. 4, c. 44, n. 2 in fine; Vasquez 1ª 2æ, q. 19, a. 6, dubit. 62, c. 6, n. 34; Suarez, *de Legg.*, l. 5, c. 18, n. 14, et in 3 p., tom. 5, disp. 4, sect. 6, n. 6; Salmant, *de Legg.*, c. 2, p. 6, n. 118 et *de Statu relig.*, c. 6, p. 5, n. 59 et p. 6, nn. 64 et 65, et ab ipsis citatos.

I. In casu probabilitatis.

262. I. In casu probabilitatis. Si, omnibus inspectis, vere probabile sit eum qui obligationem imponit carere auctoritate, an hoc præcise spectato teneris obedire?

Respondetur, in casu ad summum probabilis esse potest auctoritas imponentis obligationem, cum autem auctoritas et jurisdictio de se non præsumatur sed demonstrari debeat, quia non natura sed positivo quodam modo habetur, in casu autem non demonstretur, non est certa obligatio parendi adeoque nulla.

Quid requiratur ut sit illa probabilitas.

263. Atvero sedulo observandum quid requiratur ut sit illa probabilitas. Ad hanc sufficit quidem 1° ut probabiliter

non sit ille persona superioris, 2° probabiliter non sit legitime electus, institutus, confirmatus in suo officio (1); at 3° non sufficit, ut probabiliter imo certo careat titulo jurisdictionem conferente et possessione juris, si ille illegitimus superior possessionem facti ceperit habeatque titulum coloratum ac communi errore populi legitimus putetur, aut si, amissa jurisdictione de jure, possessionem facti retineat, iisdem stantibus adjunctis, et dummodo in utroque casu de re agatur quæ supremi Principis jurisdictioni subest seu non est juris naturalis et divini. In hac enim quæstione, quamvis locus non sit exigendi probabilitatem publicam proprie dictam, cum de facto agatur : talem non esse superiorem, quod singulis sapientibus potest esse probabile et fundare probabilitatem practicam ejus mandatum non obligare, quin necesse sit ut apud omnes de facto de illa probabilitate constet; tamen neque aderit illa probabilitas quam diximus suo modo objectivam et reductibilem ad publicam, quoties putatitius superior titulum coloratum habet cum communi errore populi, quia in tali casu licet etiam certum sit non esse superiorem qua parte caret titulo vero et possessione juris, certum est tamen eum habere jurisdictionem ad singulos actus, quia supplet superior potestas, nisi impedimentum suppleri nequeat quia est juris naturalis aut divini, adeoque nequit esse probabile, omnibus inspectis, talem carere jurisdictione.

Enumerantur tres casus in quibus obediendum est superiori qui titulo et possessione juris caret. Casus 1.

264. Juxta hæc plures possunt enumerari casus in quibus obediendum est, etiamsi sit probabile, imo certum superiorem carere vero titulo et possessione juris. Ita *a)* si accepit prælaturam cum impedimento occulto juris humani, ratione cujus collatio est irrita, in excommunicatione, v. g., irregularitate, vel interventu simoniæ realis completæ aut confidentiæ. Idem dicendum de eo cui collata est potestas

(1) Hic autem cavendum est ne probabiliter non esse institutum legitime aut confirmatum, exinde deducatur, quod superior instituens aut confirmans non sit probabiliter imo certo legitimus, quia hoc non semper sequitur ut ex statim dicendis sub 3° patebit. Vide etiam Lessium, in *Auctario* ad 1^m 2^æ, v. *Prælatus*, cas. 2.

etiam delegata, quod licet quidam negent de delegatione ad casum particularem, sufficit esse probabile (1), est autem verius. Hæc autem valent, etiamsi superior conferens jurisdictionem cognoscat impedimentum, aut inferiori superioris putatitii istud notum sit, modo stet titulus coloratus et error communis populi, modo itaque impedimentum illud adhuc maneat occultum (2). *b)* Si alicui jurisdictio occulte est ablata sive ipso jure sive per sententiam vel ex eo quod delegans mortuus sit vel hujus jurisdictio contingat suspendi, etiamsi id alicui sit probabile imo certum, donec talis ut superior se gerit et communi errore talis reputatur.

Casus 2.

Quæ brevius hic disputavimus de jurisdictione ex titulo colorato et communi errore, vide apud Sanchez, *de Matrim.*, l. 3, disp. 22; Lessium, *de Just.*, l. 2, c. 29, dubit. 8, ibique citatos; et canonistas passim, ex professo. — (3).

Casus 3.

c) Aliud exemplum habemus in sequentibus sub 4°.

An et quomodo obediendum tyranno.

265. 4° Etiamsi non tantum probabile sed certum sit tyrannum non esse legitimum principem, inde non sequitur si jam in pace imperat, republica ei non amplius resistente defectu virium, esse vere probabile omnibus inspectis, mandata ejus esse irrita hoc ipso, adeoque practice probabile esse eis non esse obediendum. Hoc contra Sotum (4) docet Fr. Victoria (5) et Lessius (6) qui inde probat : « quia ejus sententiæ et justa mandata, etsi non habeant vim a tyrannica potestate, habent tamen aliunde, primo et inchoate a

(1) Quod quomodo verum sit, habebis infra.

(2) Quid requiratur ad occultum, videndum est in jure canonico.

(3) Quæ de valore actuum jurisdictionis fori externi diximus, ea de foro interno valent, et de iis etiam quæ geruntur ex officio publico quamvis non sint actus jurisdictionis, ut de assistentia parochi in matrimonio.

Si agatur de supplenda jurisdictione ob probabilem opinionem doctorum, tunc cum sermo non sit de dubio circa ipsam existentiam auctoritatis et de superioris persona, sed de extensione potius jurisdictionis ad certas materias aut de ejusdem amissione, melius hæc quæstio tractabitur propriis locis.

(4) L. 3, q. 4, a. 6, apud Lessium.

(5) Relect. *de pot. civ.*, n. 23.

(6) L. supra cit., dubit. 9, n. 73.

jure naturali, quod supposito tali rerum statu, dictat esse obtemperandum, propter bonum commune; alioquin omnia essent plena furtis et latrociniis, secundo et complete a Republica idque vel quia, durante illo statu, tacito quodam consensu dat ei auctoritatem, dum vult ut ille justitiam administret, et officio usurpato, debito modo fungatur ; vel potius quia tacite approbat ejus mandata et acta, legibus et utilitati communi consentanea, et vult sententias justas quibus lites civium dirimuntur, et sontes plectuntur esse validas et subditos obligari, nisi enim validæ essent et obligarent, nemo nisi in speciem obtemperaret; sed quisque occulte faceret contrarium cum magno Reipublicæ incommodo. Potest autem Respublica hanc vim sententiis et actis tyranni dare, quia est singulorum superior, etiamsi tyrannide sit oppressa, et justas tyranni sententias pro suis habere ». Nec subditi peccant ab eo jus petendo : « quia non petunt absolute, sed sub tacita quadam conditione, nempe si velit se gerere loco Principis, qua conditione posita (sicut manifestum est eam poni) petitur id ad quod ipse tenetur. Quamvis enim peccet judicando, magis tamen peccaret judicium negligendo. Itaque non petitur nisi ex suppositione, et tamquam minus malum, quod eo modo petere est licitum. Ita Cajetanus in *Summa* v. *Tyrannus*, et alii (1) ».

Quam prudenter agendum subdito ne immerito neget obedientiam.

266. Inde obiter deducere licet quam prudenter sit agendum ne ab obligatione solvamus indebite, et detrectemus obedientiam superiori, etiamsi per se et directe probabile sit, imo certum, superiorem non esse legitimum cum sæpe, omnibus inspectis, cum illa certitudine vel opinione consistat nec certum esse nec probabile eum hic et nunc carere auctoritate in determinato præcepto aut sententia.

II. In casu dubii negativi.

267. II. In casu dubii quod probabilitatem non attingat. Juxta regulam generalem de dubio negativo hæc habemus :

(1) Lessius, l. c. n. 72. — Cfr summistæ v. *Tyrannus*, inter quos Barth. Fumus, auctor *Armillæ*, ideo citatus Armilla, et vide Navarrum, in *Manuali* c. 14, n. 41; Suarez, *de Legg.*, l. 3, c. 10, nn. 8 et 9; Bonacin., *de Legg.*, disp. 1, q. 1, p. 7, § 3, n. 12, et qui optime Sylvium, in 1m 2æ, q. 60, a. 6.

dubium esse negligendum, ita ut aliunde colligatur an libertas an vero obligatio probetur seu possideat. Unde : quotiescumque, omnibus inspectis, [ad hoc iterum sedulo observanda sunt quæ sub I, 3° et 4°, disputavimus (1)] dubium est de accepta auctoritate, ita ut hæc non sit moraliter certa late dicta saltem certitudine, non potest inducere obligationem. Si contra, postquam superior auctoritative egit tamquam legitime præcipiens habitus, superveniat dubium de ejus auctoritate, standum est ejus imperio donec constet de absentia potestatis (2). Quod autem dicunt Salmanticenses : « Sed non desunt gravissimi Doctores, qui absque distinctione proposita » (de pacifica possessione vel non) « absolute asserant, quod quoties dubitatur de potestate superioris, non est obligatio obediendi legibus, aut præceptis ejus. Ita Arravj., q. 97, disp. 3, sect. 2, diff. 3; Vasquez, 1ª 2æ, q. 19, a. 6, dub. 62, c. 7 in fine [lege c. 6, n. 34]; Dian. 4, p. 3, resol. 8; Salas 1ª 2æ, q. 21, tr. 8, disp. unic., sect. 8, n. 76 ». Inde nihil concludas : non enim explicite debet illa distinctio poni, quia in casu possessionis pacificæ jam sæpe non erit dubium de potestate ad singulos saltem actus. Vasquez autem l. c. nihil aliud habet quam : ea quæ dixit intelligenda esse quando non dubitatur de *legitima electione* superioris sed de ejus jurisdictione liquido constat. Nam si de illa dubitaretur, vel essent diversæ opiniones, posse sequi subditum opinionem suam. Quod et nos diximus, si enim dubium est de electione eo ipso dubium est de accepta omni auctoritate.

Explicatur locus aliquis ex Salmantic.

(1) Difficultas quæ deduci posset ex cap. *Illud Dominus*, l. V Decret. Greg., tit. 27, ubi habetur : « quia tamen in dubiis via est eligenda tutior, etsi de lata in eum sententia dubitaret, debuerat tamen potius se abstinere, quam sacramenta ecclesiastica pertractare » solvitur ut supra P. II^a, n. 206.

(2) Cfr Bapt. Trovamala, in *Summa* quam vocat *Rosellam*, ideo citatus Rosella, v. *Confessor*, 3, in fine; Sylvester, ibidem, 1, q. 19; Sanchez, l. 3, *de Matrim.*, disp. 22, n. 56 in fine; ex quibus a pari deduces nostrum assertum. — Juxta cap. *Illud Dominus*, modo citatum, addi posset nostro asserto exceptio : nisi fama sit amissæ jurisdictionis in pœnam, quia Pontifex prohibens ne superior actum jurisdictionis exerceat, censendus est velle ut subditi mandatum non exequantur, si ille contraveniat illi prohibitioni.

268. Ex dictis intelliges dubium a nobis hucusque solutum non omnino idem esse cum dubio quod proponit S. Alphonsus l. 1, n. 98 : « Quid in dubio an legislator sit superior legitimus », ex responso enim patet S. Alphonsum tantum hunc sensum comprehendere : quid in dubio an legislator *qui possessionem facti habet*, etiam de jure possideat. Ad hoc autem jam respondimus sub distinctione : si titulum coloratum habeat et sit error communis ita ut superior potestas jurisdictionem suppleat, est obediendum. Secus non, sed manet libertas sicut in dubio de electione etc. Et ita accuratius respondet eidem dubio S. Doctor l. 5, n. 47, in fine, Dubit. 2. Cf. etiam *Hom. Apost.*, tr. 2, c. 2, n. 23. Ex hisce etiam facilius percipies sensum auctorum a S. Alphonso allegatorum.

Et ex S. Alphonso.

ARTICULUS SECUNDUS.

269. Ut superior vere auctoritate gaudens, per legem aut præceptum obligationem inducat, non sufficit sola imperii voluntas, sed debet hanc voluntatem debito modo manifestare.

Dubium Primum.

270. Si dubium sit, aut probabile, requisita diligentia præmissa, legem fuisse latam, vel promulgatam, præceptum impositum, consuetudinem inducentem obligationem existere legitimam, non est obligatio. Huic dubio non insistimus nec auctores citamus, cum nos et illi plerique nobiscum dubium de lege ejusque promulgatione incertitudinemque obligationis cujuscumque inductæ invocent ut unum ex principiis demonstrationis Probabilismi et solvendi dubii.

Dubium 1um. De existentia præcepti, consuetudinis, legis, hujusque promulgatione.

271. Unum tamen notatu est dignum quod confusiones etiam postea præcludet : cum libertas per se prior existat et certa haberi debeat, seu, ut ajunt, possideat, donec moraliter non constat de obligatione inducta eam limitante ; quam vocant, legis aut libertatis.

Notandum magni momenti ut recte judicetur de possessione,

non sufficit rationes valde probabiles stare pro lege, etiam quando contra nulla ratio positiva de novo exurgit ostendens legem non fuisse latam, ad hoc ut libertas pereat, dummodo rationes illæ non faciant legem moraliter certam late dicta saltem certitudine. Jamvero dicimus solam absentiam rationis contra legem non efficere ut rationes probabiles pro lege, illam certitudinem producant. Quod ut intelligatur observa: quando dicimus (1) magnam probabilitatem pro una parte, dum opposita non fulcitur nisi ad summum levi ratione, efficere moralem certitudinem, idque in quæstionibus facti plerumque contingere (et hæc porro an lex sit lata necne, quæstionis facti species est), talis enuntiatio non potest intelligi nisi de casu quando utraque pars quoad reliqua omnia et antecedenter ad rationes de novo occurrentes æquali modo se habent seu neutra est in possessione. Ratio est in promptu : si ita æqualiter sese habet utraque pars, tunc vera illa probabilitas de novo superveniens et non infirmata rationibus alicujus momenti pro parte adversa, plerumque supponit pro humana certitudine, quia majorem certitudinem in rebus moralibus haberi vix contingit. At in casu nostro antecedenter ad omnem rationem probabilem pro legis promulgatione, aut contra eam, libertas possidet seu ut certa haberi debet, donec demonstretur obligatio legis. Non itaque sufficit ut novæ rationes probabiles occurrant pro legis promulgatione, deficientibus etiam rationibus novis contra, ut statim judicetur possessionem illam esse mutatam, quia hæc ratio antecedens semper subsistit : libertas est prior obligatione, et hæc demonstrari indiget non illa. Et hæc possessio non infirmatur nisi libertas non sit amplius probabilis, hoc autem, rationibus probabilibus de novo adductis pro lege, fieri nequit sed tantum demonstrativis (2).

(1) V. supra n. 179.

(2) Dictis hoc numero et universim doctrinæ nostræ non repugnat Lugo, dicens : (in sæpe cit. disp. 5, sect. 1, *de Fide*, n. 18, ubi lege etiam n. 19) : « Si adest judicium ultimum probabile de obligatione, et nullum etiam probabile de defectu obligationis, debet voluntas satisfacere obligationi,

Dubium Secundum.

Dubium 2um. De sensu legis ejusque extensione.

272. Videri posset idem dicendum esse in dubio de sensu legis, seu de ejusdem extensione ad certam materiam, ad certum subjectum, ad determinatum casum. Atvero distinguendum est : vel enim 1° sensus de quo dubitatur non potest, inspectis omnibus adjunctis in quibus lex lata fuit et sanæ interpretationis legibus, apte contineri verbis legis, ita ut ipse legislator non possit dubium auferre nisi aliquid addendo aut demendo verbis ipsis, quod tamen vix umquam continget, quia signum erit reipsa sensum illum non fuisse intentum a legislatore qui solet apte loqui : si autem fiat, debebit legislator interpretationem talem suæ voluntatis promulgare sicut novam legem promulgaret. Et incidimus prorsus in dubium præcedens. Vel 2° sensus de quo dubium irrepsit potuit sub ipsis verbis legis comprehendi, tum, si legislator hunc sensum revera intenderit et authentice illud declaret, non indiget promulgari talis declaratio, sed sufficit innotescat singulis, ut subjective etiam ligentur, sine nova proprie dicta promulgatione ; adeoque antecedenter ad illam declarationem authenticam, posito dubio publico et intellectu magis restricto legis, eadem quidem solutio valet ac supra, in favorem nempe libertatis, sed ob rationem diversam : quia nimirum obligatio objectiva quæ reipsa aderat, non poterat defectu scientiæ transire in subjectivam. Utiliter hic legi possunt quæ infra notamus de regulis interpretationis in art. 5. Facile intelligitur, dubium publicum in casu difficilius contingere, quia raro obscure loquitur legislator.

Distingue : dubium sensum qui arguit defectum promulgationis.

A dubio sensu qui non arguit defectum promulgationis.

quæ proponitur, quam si non exequatur, nullum sequitur judicium probabile de defectu obligationis, quod, ut supponitur, nullum habet. » Loquitur enim ibi juxta solum modum subjectivum formandi conscientiam (v. supra n. 232), et ex hypothesi quod judicium probabile sit *ultimum*. Jamvero hæc hypothesis numquam contingit necessario, et potest semper agens nisi non attendat, devenire reflexe, vel per principia indirecta secundum modum formandæ conscientiæ objectivum, ad judicium certum.

273. Hunc ultimum casum aliqui dicunt casum epikeiæ, sed non potest cum epikeia proprie dicta confundi (1), quæ locum habet ubi aliquid certo lege comprehenditur et ubi non agitur de legis intellectu, sed ex æquo et bono ob nimiam difficultatem servandi legem in certis adjunctis merito præsumitur legislator velle excipere hunc casum. Et hoc est discrimen in re præsenti ab epikeia, quod in dubio de quo loquimur non tam necesse sit ad superiorem recurrere etiamsi recursus pateat, si sensus ille magis restrictus, de quo dubitatur an non sit amplior intelligendus in lege, est vere probabilis, aut probabile est de facto non esse rem aut conditionem talem de qua loquitur lex : nam, novam legem non tenemur petere, neque etiam declarationem, quia nec ipse legislator sæpe scire poterit quid absolute de singulis intenderit (2). In epikeia vero proprie dicta raro probabile est licere inconsulto superiore contra expressa legis verba agere si recursus ad superiorem sit facilis, ut videbimus. Et hoc sensu loquitur S. Thomas 1ª 2æ, q. 96, a. 6, ad 2m, ubi dicit : si dubium sit quid legislator intenderit, secundum verba legis agendum esse vel superiorem esse consulendum. Vide etiam Vasquez, in l. cit. S. Thomæ, disp. 176.

Et hunc ultimum casum ne confundas cum epikeia propria dicta.

274. Observandum : 1° hæc dubia non esse confundenda cum dubiis de applicatione legis in casu particulari ; quando enim lex est omnino perspicua ex parte sua quantum fieri potest, potest adhuc dubium oriri ex parte adjunctorum occurrentium in quibus est applicanda, an nimirum hic et nunc adsint conditiones et circumstantiæ, quibus positis, lex applicanda est, quamvis lex ipsa sit omnino clara et determinata. De hac re agitur in cap. 3 hujus sect. 2° Quoad dubia de sensu legis, quæ non sunt de alicujus obligationis determinatæ naturæ majori minorive extensione ad casus vel personas, sed de natura ipsa obligationis an lex sit pure pœnalis, v. g., irritans ipso facto ; et de obligationis gravitate, speciali articulo 5° eadem solvemus.

Nec præsens dubium confundas cum dubio de legis applicatione, quod non sit ex parte legis.

(1) De Epikeia, v. infra, nn. 331 sqq.

(2) Cfr Terillus, op. cit., Q. XXIII, nn. 19, 23 et 24.

ARTICULUS TERTIUS.

275. Ut superior legitimus veram obligationem imponat per legem aut præceptum, requiritur ex parte materiæ :

Quæ requirantur ex parte materiæ legis et præcepti.

1° Sit justa, i. e. non illicita, et insuper vel de se vel saltem formaliter ut præcepta, sit honesta.

2° Apta sit hic et nunc a tali superiore juste et honeste præcipi, ita ut legislator eam jubendo non lædat justitiam *a)* legalem : seu, si de lege agitur, ea vergat in bonum commune; *b)* nec lædat justitiam commutativam, excedendo limites suæ potestatis, non standO contractui qui forte in illa materia inter ipsum et subditos existit; *c)* nec lædat lege sua justitiam distributivam, saltem adeo ut cedat lex in commune detrimentum. Notandum enim est, posita materia justa in se, non semper ex eo quod non præcipiatur imo non possit præcipi hic et nunc juste et honeste, ex integro obligationem abesse, sed ex parte aut in casu determinato ubi injustum esset obligare, quod etiam valet de requisito sequente sub 3°.

Diximus autem : quæ apta sit præcipi materia, non : quæ præcipiatur juste et honeste, quia necesse non est ad obligationem omnimodam inducendam, ut nullum sit peccatum in præcipiente : si enim peccatum mere extrinsece se habet ad materiam quæ hic et nunc honeste præcipi potest, ita ut ex inordinato affectu aut pravo fine præcipiantur, quæ tamen objective justa atque honesta sunt, et utilia ad bonum commune si de lege agatur, id non impedit valorem præcepti et legis.

3° Requiritur ut quod præcipitur sit possibile i. e. non nimis onerosum et difficile.

Hæc tertia requisita conditio non ex omni parte ita distinguitur adæquate a præcedente, sicut supra jam insinuatum est, ut eæ non possint aliquo modo ad invicem reduci. Eas tamen separatim proponimus ne ulli confusioni sit locus. Dubia autem circa illas proponenda minus necessarium erit singillatim et distincte proponere, cum iisdem principiis

solvantur. Accurate tantum distinguendum est inter injustitiam materiæ (sub 1°), et injustitiam modi (sub 2° et 3°). Inde varia dubia sub duplici puncto.

I.

Dubium Primum.

276. Si dubium sit utrum illud quod præcipitur sit licitum necne, an tenetur subditus obedire ?

I. Dubium 1^m. De liceitate rei præceptæ.

De hoc dubio vide de Lugo, *Resp. mor.*, l. 3, dub. 19; Mendo, *Statera opin. benign.*, diss. 13, q. 14, § 4; Suarez, *de Relig.*, tr. 10, l. 4, c. 15, nn. 17 sqq., coll. *de Cens.*, disp. 4, sect. 6, nn. 5 et 6, et *de Legg.*, l. 1. c. 9, n. 9; Lessium, *Præl. posthum. de Beat. et act. hum.*, q. 19, a. 6. dub. 7, n. 45 et n. 51 ; Salm., etiam pro reliquis dubiis hujus art., *de Legg.* c. 2, p. 6, nn. 115-117, ubi tamen satis confuse loquuntur, et *de stat. relig.* c. 6, p. 6, nn. 66 sqq.; Laymann, l. 1, tr. 1, c. 5, § 2, nn. 11 et 12; Terillum, op. sæpius cit., q. 23, nn. 79 sqq., 96 sqq.; Wiggers, in 1^m 2^æ, q. 19, a. 6, dist. 6, n. 47; S. Alphonsum, l. 1, n. 31, n. 100, l. 5, n. 47, aliosque apud illos citatos.

I. In casu probabilis liceitatis.

277. I. «...Quando dubium est probabile, quia nimirum ex utraque parte sunt opiniones probabiles, affirmans et negans rem illam licitam esse,... potest procul dubio subditus amplecti opinionem probabilem affirmantem, atque adeo tenetur eam amplecti et obedire, habet enim jam tunc locum regula generalis, quod obediendum est prælato, quoties res præcepta potest sine peccato fieri : nunc autem potest id fieri sine peccato cum possit subditus saltem per principia extrinseca amplecti illam opinionem, et exequi rem præceptam. Hoc enim ipsum prælatus præcipit, nempe quod amplectatur sententiam illam quam ipse subditus judicat probabilem : quare præcipit rem extra controversiam licitam, nimirum quod in ea operatione amplectatur opinio-

nem probabilem, ita cum aliis Sanchez (1) et Suarez (2) qui addunt etiamsi opinio dictans esse licitum quod præcipitur sit minus probabilis, si tamen probabilis sit, adhuc deberi obedientiam quia jam tunc præcipitur id quod subditus licite facere potest, cum possit licite, communiter loquendo, amplecti opinionem probabilem, relicta probabiliori (3) ».

278. II. In casu dubii non pertingentis ad probabilitatem. *II. In casu dubii negativi.*

1° Hic sermo non est de dubio practico et ultimo quo res formaliter ut præcepta et omnibus omnino inspectis nondum potest judicari probabiliter licita, ita ut subditus non possit formare conscientiam de liceitate, quia tunc non modo non debet sed nec posset licite obedire; sed agitur de dubio remoto et quasi speculativo : an, eo non obstante, possit subditus ratione præcepti formare judicium practicum et verum dictans licitam obedientiam. *Definitur status quæstionis.*

2° Potest res quæ præcipitur dupliciter considerari : secundum se antecedenter ad præceptum, vel formaliter ut est præcepta in sensu composito cum præcepto; et fieri potest ut secundum se sit illicita v. g. omissio voti, accedente autem præcepto superioris sit licita et debita, ut si religioso præcipiat prælatus aliquid cum privati voti impletione incompossibile, non quod prælatus dispenset in voto sed obligatio voti non præjudicet obedientiæ. In præsenti autem agitur, ut advertit Lugo, l. c, n. 4, et Suarez l. c. *de Relig.* n. 22, de dubio circa liceitatem rei secundum se, et quæritur an præceptum adveniens se solo, non addendo aut tollendo aliquam circumstantiam, possit eam reddere licitam, adeoque ex obedientia debitam.

3° Dicendum est hoc certo non fieri, si superior ipse practice et ultimo dubitet an possit rem illam licite præcipere. « Sicut enim non potest prælatus valide præcipere illicita, ita nec potest valide præcipere id de quo dubitat an sit licitum, et an licite possit præcipi, cum in hoc etiam

(1) L. 6 *in Decal.*, c. 3, n. 6.
(2) *De Relig.*, l. c. supra in initio dubii, n. 21.
(3) De Lugo, l. c., n. 3. Citamus ex edit. Vivès, 1859.

casu abutatur sua potestate, non solum quoad modum extrinsecum sed etiam quoad materiam præcepti quæ solum extenditur ad licita : res autem de qua dubitatur modo explicato, an sit licita, eo ipso non est licita sed illicita, et per consequens præcipitur sine sufficienti potestate, atque adeo non affert obligationem nec facultatem obediendi ; quod ingenue fatetur et probat ipsemet Sanchez dicto l. 6 *in Decal.*, c. 3, n. 21, et l. 2 *de Matrim.*, disp. 41, n. 45 in fine, docens subditum non posse licite militare quando certo scit principem suum dubitare de injustitia belli » (1).

Et solvitur ex doctrina de Lugo.

279. 4° « His ergo suppositis, restat difficultas solum, an quando secluso præcepto, subditus nullam habet rationem probabilem ad formandam scientiam [conscientiam?], et judicandum licitum id quod præcipitur, sufficiat præceptum et auctoritas prælati ad formandum ejusmodi judicium, atque adeo ad exequendum id quod præcipitur, in quo puncto rursus distinguendum est, neque enim potest una regula universalis tradi affirmans, vel negans : etenim frequenter sufficiet, aliquando tamen non sufficiet; frequenter enim continget, quod præceptum ipsum afferat subdito motivum novum ad judicandum licitum quod antea non judicabat. Primo, quia ipsi auctoritas prælati, qui aliunde noscitur vir doctus et probus, et qui non solet temere præcipere, nec ignorat circumstantias rei præceptæ, potest esse magnum motivum ad deponendum dubium et formandam conscientiam et judicium probabile de honestate rei præceptæ. In quo tamen non attenditur prælatus mere ut prælatus, sed ut vir doctus, probus, et prudens. Secundo, quia aliquando materia est talis, ut in dubio prodesse possit dispensatio prælati, v. g. si sit dubium de causa sufficienti ad non jejunandum, vel non recitandum officium divinum, in quibus casibus aliqui prælati solent habere facultatem ad dispensandum : tunc enim prælatus prohibens jejunium vel officii recitationem, censetur in illo dubio dispensare, atque ideo subditus potest et tenetur acquiescere. Et cum his limitationibus

(1) Lugo, ibidem, n. 6.

fatetur subditum non posse in dubio obedire, nisi aliquid hujusmodi interveniat per quod tollatur dubium et formetur judicium probabile, Suarez ubi supra dicto c. 15, n. 19 et sequentibus. Vasquez t. 1 in 1m 2æ, q. 19, disp. 68 [lege 66] c. 9, n. 52 et sequentibus, Salas in 1m 2æ, q. 21, tr. 8, disp. unic., sect. 17, n. 152 et 159, et alii, cum quibus nos idem diximus t. 1 *de Justitia*, disp. 18, s. 1, n. 20 et sequentibus. »

« Possumus autem tertio addere, ipsummet prælati præceptum aliquando justificare et honestare rem, quæ aliunde non habebat de se justam causam ut honeste fieret.... [ita] actio... illa rigandi per annum quotidie lignum aridum, quam de Joanne monacho refert Cassianus l. 4, c. 24, si propria sponte fieret, esset actio otiosa; facta tamen ex obedientia fuit honestissima et perfectissima... In his et similibus casibus præceptum ipsum mutat materiam, et de actione inutili et otiosa, reddit utilem et honestam, quia facere hoc ipsum ex obedientia non est inutile, sed habet honestissimam causam operandi, nempe obedientiam. »

« Cæterum aliquando possunt hæc et alia similia deesse, et remanere subditus adhuc dubius, an liceat exequi rem præceptam, et tunc dicimus, non debere nec posse obedire Rationem a priori reddidi in dicto loco *de Justitia*, n. 21, quia conclusio probabilis debet fieri ex aliquo novo motivo, ex quo probabiliter inferatur : ex hoc autem principio, *Prælatus id præcipit*, non potest semper probabiliter colligi : *ergo licitum est*, quando præsertim scirem prælatum solere temere et imprudenter præcipere pro libito, quæ non licent. Debent ergo concurrere alia adminicula præter merum præceptum in genere ad inferendam illam probabilem conclusionem, sine qua non potest subditus practicum judicium necessarium habere ad licite operandum, quibus adminiculis prælati auctoritas roboretur ad inferendam illam probabilem conclusionem » (1).

280. 5° Inde videre est aliquod discrimen inter hunc casum et illum ubi dubium est de extensione potestatis supe-

Discrimen hujus dubii cum dubio de extensione potestatis superioris ad rem certo licitam.

(1) De Lugo, ibidem, nn. 7-9.

rioris ad certam materiam de se licitam, de quo verum est in dubio regulariter favendum esse superiori, ut videbimus; hic vero, eo ipso quod dubium de liceitate materiæ non possit superari, jam dubium non est non esse materiam præcepti : cum enim sit præceptum naturale non operandi cum dubio de operatione an licita sit necne, eo ipso quod res manet dubia manet illicita, atque adeo clare extra potestatem est superioris. Inde respondebis Sanchez, l. 6 *in Decal.*, c. 3, n. 3 dicenti, in dubio præsumptionem stare pro superiore, et subdito incumbere onus probandi quod sit illicitum. Respondetur enim : nos loqui de casu quo accedente præcepto res adhuc maneat dubia, et hic et nunc auctoritas prælati non sit talis ut pro ipso stet præsumptio, quæ si esset, res non remaneret dubia. Si autem dubium est insuperabile, jam certo illa materia est illicita.

Et respondetur Sanchezio.

Ulteriorem declarationem et solutionem difficultatum invenies apud eumdem de Lugo, l. c. nn. 10 28, præsertim 18-26, et apud Suarez, dicto l. 4 *de Relig.*, c. 15, nn. 26 sqq.

Dubium Secundum.

Dubium 2um. De honestate positiva rei præceptæ de se indifferentis.

281. Si dubium sit non quidem de liceitate materiæ præceptæ sed de ejusdem honestate, quia de se est indifferens, an tenetur subditus obedire?

Hoc dubium brevissime absolvimus. Ex præcedentibus enim colligitur, sive dubium hoc ad probabilitatem pertingat sive non, obediendum esse, quia vel ipsum præceptum certo cohonestat rem, ut supra n. 279, 4°, Tertio; vel saltem certo constare debet materiam formaliter ut præceptam, positivam honestatem non habere ex fine et circumstantiis, hic enim ratio illa non obtinet quæ in dubio de illiceitate valet. « Advertunt omnes doctores necessarium esse ut de injustitia legis certo moraliter constet » (de qua in dubio de illiceitate rei præceptæ indirecte constat, ut probavimus) « nam si res sit dubia, præsumendum est pro legislatore, tum quia habet altius jus et illud possidet, tum etiam quia regitur

altiori consilio et potest habere rationes universales subditis occultas; tum etiam quia alias subditi sumerent nimiam licentiam non parendi legibus, quia vix possunt esse tam justæ, quin possint ab aliquibus per apparentes rationes in dubium vocari » (1).

II.

Dubium Primum.

II. Dubium 1um. An lex vergat in bonum commune. Definitur status quæstionis.

282. Si dubium sit utrum lex, inspecta materia, vergat in bonum commune, an tenentur subditi legem servare?

1° Ut sensus hujus dubii rite intelligatur, nota ex Suarez (2) : « ad valorem et substantiam legis solum esse necessarium, ut res illa, de qua fertur lex, hoc tempore, hoc loco, in hac gente et communitate sit utilis et conveniens ad bonum commune illius : hæc enim utilitas et commoditas non datur a legislatore, sed supponitur, et ideo quantum ad suum esse, ut ita dicam, non pendet ex intentione legislatoris. Ex quo etiam fit ut talis res ex se debeat esse referibilis in commune bonum : nam omne bonum utile, quatenus tale est, aptum est ordinari in eum finem ad quem est utile, et in hoc sensu necessaria est in præsenti intentio operis, non operantis. »

Ex quibus vides ad præsens dubium non pertinere judicium de intentione personali legislatoris.

2° Nos nunc ponimus materiam positive honestam, saltem in sensu composito cum præcepto, et loquimur de utilitate ejus ad bonum commune, quæ necessaria est ubi de lege agitur ; adeoque involvit solutio hujus dubii solutionem alterius dubii : an superior posuerit præceptum, an vero legem proprie dictam ; « potest enim esse actus justus et honestus, licet non sit propter bonum commune, satisque

(1) Suarez, *de Legg.*, lib. 1, c. 9, n. 9. Cf. *de Relig.*, l. c.
(2) *De Legg.*, l. 1, c. 7, n. 9.

erit quod illi non repugnet, de lege autem additur ad justitiam ejus esse necessarium, quod ordinetur ad bonum commune » (1).

Quæstio solvitur.

283. His positis 3° si moraliter certo constat materiam præcepti esse bonum privatum tantum, et tamen certum sit aliunde proprie dictam legem voluisse condere legislatorem, subditi ea non tenentur. Non tamen sufficit ut per se primo sit bonum privatum illa materia, quia potest adhuc esse bonum commune per redundantiam. « Materia... circa quam versatur lex interdum est bonum commune per se primo : aliquando vero per se primo est bonum privatum, commune autem per redundantiam » (2).

4° Si constat materiam præceptam esse bonum privatum tantum, non vero constat de voluntate legislatoris, censendum est esse præceptum proprie dictum non legem, eique ut tali obediendum, adeoque obligationem esse personalem non localem, reliquasque observando differentias legem inter et præceptum.

5° Quotiescumque autem dubium est, etiam probabile, utrum in bonum privatum an vero in bonum publicum vergat ordinatio superioris, tenentur subditi obedire, et eam pro lege vel pro præcepto habere, prout constat de ejus voluntate. Si et hæc sit obscura, eligi potest in obediendo quod minus est onerosum. Huc spectat suo modo monitum Suarez in fine præcedentis dubii positum, sicut et illud quod idem Doctor eximius ponit c. 9, n. 18, quodque ad reliqua præsentis articuli dubia utiliter ante oculos habetur :

Monitum Suarezii quoad dubia præsentis articuli.

« Est... notanda differentia inter injustitiam in materia, vel in modo legis : quod in priori, si de injustitia constet, nulla ex causa... obedire licet, quia malum facere numquam licet propter ullum finem : atvero in alio casu, licet lex de se non obliget, potest subditus illi parere, si vult, dummodo injustitiæ non cooperetur, quia potest cedere juri suo. Et ideo multo facilius tunc obligari poterit in casu dubio; imo

(1) Suarez, *de Legg.*, l. 1, c. 6, n. 3.
(2) Ibidem, c. 7, n. 8.

etiam in casu, in quo sit certa injustitia, aliquando poterit obligari propter vitandum scandalum : nam hoc vitandum est, etiam cum detrimento temporali. »

Dubium Secundum.

284. Quoad reliqua potest proponi dubium generale : Posita auctoritate superioris et materia de se honesta et utili (si de lege agatur) in commune bonum, dubium sit : utrum in particulari hic et nunc legislator seu superior non lædat justitiam commutativam aut distributivam. — Si detrimenti aut gravis incommodi *communis* sit dubium, reincidimus in dubium præcedens ; si particularis, hoc primo discrimen animadverti potest inter casum detrimenti particularis seu injustitiæ ex parte superioris et casum nimiæ tantum difficultatis respectu aliquorum, quod in priori obligatio etiam objectiva deficiat respectu eorumdem, in altero vero saltem excusentur illi subditi : spectat autem hoc dubium de incommodo ad infra dicenda de causis eximentibus et excusantibus, sive enim damnum aut incommodum alicui obveniat post legem jam latam, sive dum lex fertur jam adsit, parum refert : semper enim prius est ratione legem esse, quam inquirere an quis eximatur aut excusetur ab ejus obligatione. *Dubium 2um definitur.*

De hisce autem dubiis injustitiæ ex parte superioris consulantur Castropalao, tom. 1, tr. 1 *de Conscientia*, disp. 2, p. 6, et disp. 3, p. 13; Sanchez, l. 6 *in Decal.*, c. 3, coll. l. 4, cc. 32 et 44 et *de Matrim.*, l. 2, disp. 41, n. 39; Vasquez in 1^{m} 2^{æ}, disp. 62, c. 6; Suarez, *de Legg.*, l. 5, c. 18, nn. 14 sqq., *de Cens.* disp. 4, sect. 6, nn. 5 et 6; Bonacina, *de Legg.*, disp. 1, q. 1, p. 7, § 3, n. 11 et *de Restit. in partic.*, disp. 2, q. 9, p. 1, n. 7; Salmant., ut supra sub I. *Dubium Primum*; Mendo, *Statera opin.*, diss. 13, q. 15, § IV, et diss. 6, q. 1, n. 6; Lugo, *de Justitia*, disp. 36, sect. 6; Laymann, l. 1, tr. 1, c. 5, n. 12; S. Alphonsus, l. 1, nn. 98 et 99 ; et ab illis citati.

Reducitur ad hoc : an excedat superior limites suæ potestatis.

285. Ut dubium nunc examinandum, quod reducitur ad hoc : an excedat superior limites suæ potestatis ; clarius, si fieri potest, perspiciatur, legi potest Suarez, *de Legg.*, l. 5, c. 18, n. 13, ubi etiam nn. 14 sqq. illud solvit, de lege quidem tributi agens, sed ita ut facile doctrina ejus generalis intelligatur. « Si... constet Principem habere potestatem ad imponenda tributa generatim, licet in particulari tributo non constet servari omnes conditiones ad illius justitiam requisitas, lex tributi obligabit subditos ad solutionem tributi, dummodo non constet de aliqua injustitia tributi, seu de defectu alicujus conditionis ad illius justitiam requisitæ... »

Solvitur secundum doctrinam Suarezii, tum si negativum sit tum si positivum.

« Verumtamen in illa particula *non constet*, potest esse multiplex sensus, et inde fortasse est varietas in modo loquendi auctorum. Primo ergo dicitur non constare quod non scitur clara, et evidenti ratione vel physica, vel morali, et in hoc sensu certa videtur illa pars, quia non oportet, ut subditi cum evidentia vel certitudine sciant, Principem observasse omnes conditiones justitiæ in ferendo tributo, ut teneantur illi parere : tum quia licet Princeps habeat hanc certitudinem et evidentiam, est moraliter impossibile, ut omnes subditi illam assequantur, contra rationem autem esset, aliquid moraliter impossibile postulare, ut lex justa obliget : tum etiam quia si hoc verum esset, fere omnes possunt excusari a solutione tributorum. Non est ergo satis ut non constet per evidentiam. Potest vero latius illa particula sumi, et cum hac negatione alia conjungi, scilicet, ut neque per rationem probabilem constet de justitia tributi, et dicatur non constare, quod nec certo, nec probabiliter cognoscitur, ex qua negatione oritur dubium negativum. Et in hoc sensu dico, aliud esse loqui de Principe, aliud de subdito, et aliud de solutione tributi. Princeps ergo si cum simili dubio tributum imperet, agit injuste, ut supra dixi, quia agit temerarie, et onerat subditum sine justa causa... Unde si subditis constet, Principem cum illo dubio imperasse tributum, non tenebuntur solvere, etiam si nesciant, an reipsa intercesserit sufficiens causa, necne, quia satis est, quod sciant, tributum esse injustum. Unde tunc non potest

dici tantum negative, non constare subditis de injustitia tributi : nam positive etiam constat illis de injustitia tributi... »

« Atvero subditus qui nescit, Principem non habuisse causam, vel dubitasse de causa, sed solum ignorat, an habuerit causam, vel quam habuerit, et consequenter solum est dubius negative de causa vel justitia tributi, tenetur ad solvendum tributum. Probatur ex generali regula quod subditus tenetur obedire Prælato præcipienti, non solum quando certus est, non esse contra Dei præceptum, quod homo jubet, sed etiam quando, *Utrum sit, certus non est*, ut dixit Aug. 22 contra Faust. cap. 75, cap. *Quid culpatur*, q. 1... »

« Tertio modo potest illa particula *non constat* excludere tantum evidentem scientiam. manente probabili judicio, et cognitione, et ita erit difficilior assertio, quia licitum est unicuique homini operari juxta probabile judicium, ut est communis doctrina, quia non potest homo regulariter loquendo certiorem cognitionem de rebus assequi ... Duobus... modis potest subditus contrarium [non esse justum tributum] probabiliter opinari. Primo habendo definitum judicium probabile de injustitia tributi ex defectu causæ, vel formæ, et ignorando omnino, an contrarium probabile sit vel an Princeps ductus fuerit probabili judicio in lege ferenda. Et quando subditus hoc modo est affectus et instructus, verum censeo, posse sequi suum probabile judicium, quia tunc humano et morali modo loquendo, illi constat, legem esse injustam, cum de illa habeat definitum judicium opinativum, seu probabile, sine resistentia contrarii, ut sic dicam (1). Neque in eo casu tenetur præsumere pro justitia Principis, quia non tenetur tantum deferre auctoritati Principis, ut contra proprium judicium probabili ratione fundatum, sine alia probabili ratione pro illa præsumat. »

« Alio vero modo potest subditus ita opinari injustam esse

(1) Hoc sensu intellige : *si constet, moraliter constet,* in responso ad dubium præcedens.

tributi impositionem, ut nihilominus judicet contrarium etiam esse probabile, et tunc censeo, non posse excusari ab obligatione legis propter illam probabilem opinionem. Primo, quia licet illud judicium sit probabile speculative, nihilominus practice potest certo judicare, legem esse justam, quia ut hoc sit certum, satis est, ut constet legislatorem ductum esse, vel certe duci potuisse probabili ac sufficiente ratione ad illam ferendam, ergo obligatur subditus ad parendum tali legi, quia non potest dari bellum justum ex utraque parte. Neque obstat, quod interveniente ignorantia dari possit, quia hoc habet locum ubi cætera sunt paria; hic autem non est ita, quia cæteris paribus præfertur jus superioris, maxime quando practice constat, illum juste præcipere. Confirmatur primo ex dictis, quia quando dubium est negativum, est etiam ignorantia æqualis justitiæ et injustitiæ, et nihilominus subditus cogitur obedire, ut ostensum est; ergo a fortiori quando est judicium speculativum æquale pro utraque parte, debet practice præferri jus superioris : est enim eadem ratio vel major, quia in præsenti certo constat practice de justitia legis, ibi autem neutrum constat practice vel speculative, sed præsumptione tantum agitur. Confirmatur secundo, quia alias in omnibus legibus idem esset dicendum, et ita quotiescumque subditus probabiliter judicaret Prælatum injuste præcipere, etiamsi sibi constaret Prælatum duci judicio probabili et sufficiente, posset illi non obedire, quæ esset nimia licentia, et multam confusionem, et scandala pareret. Tandem illud principium de usu opinionis probabilis hic non recte applicatur, quia non semper opinio probabilis speculativa de qualitate materiæ, vel de causis aut effectibus ejus, sufficit ad licitum usum ejus in praxi, quando in cæteris non est æqualitas, ut quando in re ipsa semper subest periculum, quod imprudenter suscipitur, vel quando sit contra aliquod majus jus. Ut licet quis probabiliter opinetur, rem, quam alius possidet, esse suam, non potest sua auctoritate illam surripere, quando conscius etiam est, alteri non deesse rationem probabilem ad retinendam illam, quia tunc non potest applicare ad opus prius

illud judicium probabile, cum sciat in simili eventu meliorem esse conditionem possidentis ; ita ergo est in præsenti, quia superior est hic præferendus tamquam possidens principalius jus, ut declaravimus. »

Quia tamen aliqua est discrepantia inter auctores iisdem principiis utentes, inquiritur in quæstionem facti, quousque in proposito dubio ipsa obligatio obediendi sit dubia ; exempli causa.

286. Hanc Suarezii doctrinam amplectimur; quia tamen aliqua dissensio est inter doctores communibus cæterum principiis utentes, hic opportunus videtur locus exempli gratia adeoque longiori disputatione inquirendi in quæstionem facti quam vocavimus, quousque scilicet de obligatione obediendi constet, quid ut certum, quid ut probabile tenendum.

Doctrina de Lugo.

287. Addimus itaque quædam ex Card. de Lugo (1) ; tum quia ex sententia S. Alphonsi (2), « doctissimus » ille « non temere inter alios theologos facile princeps dici potest, cum in dubiis discutiendis hic auctor sæpe, nullo præeunte, falcem ita ad radicem ponit, ut rationes, quas ipse in medium adducit, difficulter solvi valeant » quamquam et hic id obtinere non dicimus; tum quia præcipuos auctores in hanc quæstionem adducit.

Imprimis de dubio negativo.

Loquendo imprimis de dubio negativo, duplicem sententiam alteram affirmantem alteram negantem obligationem solvendi tributa profert, hancque alteram ut probabiliorem amplectitur, deinde proposito, ut ait, quod videtur esse tota rei difficultas, respondet : « præsumptionem pro principe et pro lege magnam quidem esse, quando tamen non sunt circumstantiæ quæ præsumptionem illam magna ex parte extenuent, prout sunt in casu tributorum, in quibus experientia constat, multa tributa de facto injusta a probis et prudentibus censeri... Non est ergo præsumptio illa ita fundata in hoc casu ut dubium valeat expellere, cum tot gravissimi doctores dicant, pauca esse tributa in quibus conditiones omnes ad eorum justitiam necessariæ de facto concurrant. Quod tamen dictum in universum non probo ».

(1) *De Justitia*, disp. 36, sect. 6.
(2) L. 4, n. 552 in fine.

288. Inde videmus 1° ex eo præcise quod auctores de legibus tributorum agendo, solvant contra Suarez, non posse concludi eos de omni lege similiter docere, adeoque etiamsi doctrina Suarez de tributis non admittatur, non ideo generalem doctrinam ejus esse relinquendam, idque ob duplicem rationem : quia, ut de Lugo loquitur, in hac materia tributorum multi probi et prudentes præsumptionem afferunt contra principem ; et quia sunt præterea aliæ rationes huic materiæ propriæ ut in dubio non sit obediendum, quas exponit ex Lessio Lugo, l. c. numero 90.

2° Imo generaliter loquendo, ut ex dictis elucet, cum Suarez ponimus dubium in sensu composito cum præsumptione pro legislatore jam non subsistere, sed illo neglecto perveniri ad certitudinem saltem late dictam de potestate superioris et justitia ejus legis, quod per se fieri cum eodem dicimus ; nequaquam vero loquimur de casu in quo ex rationibus extrinsecis, puta quia superior solet abuti sua potestate, aut non tam superioris personam sustinet quam potius privatæ, jus suum aliquod exigentis vi contractus qui inter subditos et principem initio intercessit ; præsumptio quæ per se superiori favet per accidens cedere debeat præsumptioni contrariæ, et dubium perseveret. Ita, distinctis quæ sunt distinguenda et Lugoni et Suarezio consentimus. Namque verum est potestatem et jurisdictionem per se quidem non esse in aliquo homine sed probari oportere, atvero quando certo aliqua ei inest, propter solum dubium aut etiam probabilitatem restringi non potest, nec supponi abusus sed probari, per se loquendo : si autem adsint rationes præsumendi contra principem determinatum, tum posita probabilitate aut etiam dubio de abusu, rationes illæ accedunt ad infirmandam possessionem principis, et ad hoc ut non negligatur dubium sed merito perseveret, nec adeo satis constet de obligatione obediendi. Si demum agatur de materia in qua proprie non gerit personam superioris legislator, jam versatur res extra ambitum præsentis quæstionis. Et ita intellige Lessium, *de Just.*, l. 2, c. 41, n. 77 in fine, ubi urgere non potes illud : *in iis ubi superiori præstituti sunt*

certi limites vel a superiori potestate, vel a subditis quasi ex contractu; sed intellige juxta sequentia : *quia tunc esset dubium de potestate*, i. e. non de extensione ejus sed potius an aliqua sit in hoc potestas. De qua re in *Dubio unic.* Art. I[1].

289. Sed propius ad quæstionem nostram generalem accedamus : « Dices, superiori præcipienti in dubio parendum esse a subdito :... sunt duæ sententiæ quas late refert Th. Sanchez l. 6 *in Decal.* cap. 3 et Castropal. tom. 1, tr. 1, *de Conscientia*, disp. 2, punct 13, et quamvis ipsi affirmantem sententiam teneant, omnes tamen fatentur non teneri ad obediendum cum eo dubio, quando id quod præcipitur est nimis difficile subdito » (1); affert dein Lugo alias similes exceptiones, ex modo citatis auctoribus et ex Lessio l. 2 *de Just.*, c. 31, dub. 3, n. 10 et cap. 41, n. 77 in fine. Sufficiat in præsenti advertere ex omnibus quos adducit De Lugo, nullum esse qui doctrinam quam juxta Suarez exposuimus, si de legibus generatim accipiatur, infirmet, imo omnes ad speciales rationes confugere ut a solvendo tributo deobligent, adeoque potius exceptionem afferre a regula generali, quod etiam ex Lessio patet, ll. cc. a Lugone et l. 2, c. 33, dub. 8, n. 68.

Doctrina eorum quos adducit de Lugo.

290. Deinde si jam adeamus Sanchez, legenti patebit in loco citato Sanchez duplicem quæstionem simul proponere, dubii scilicet de liceitate rei præceptæ, et dubii de extensione potestatis superioris, imo priorem potius ex professo tractare : mirum itaque videri debet, cum illam priorem ipse de Lugo subtiliter sed optime, et partim contra Sanchez disputando, pro nobis solverit, ex qua ejusdem disputatione deduximus has quæstiones duas esse distinguendas; nunc, quasi duæ essent sententiæ circa solutionem præsentis nostri dubii, testem Sanchezium invocare, præsertim in quæstione de tributis ubi non agitur de dubio circa justitiam materiæ secundum se, sed de dubio circa potestatem superioris, hujusque justitiam in præcipienda re quæ certo licite præstari potest, et ubi præterea rationes

In particulari Sanchez.

(1) De Lugo, ibidem, n. 90.

speciales occurrunt ut in dubio non sit obediendum. Unde nec duplicem sententiam apud Sanchez deprehendimus circa dubium præsens, sed potius circa illud alterum. Ast audiamus ipsum Sanchez; exposita l. c. nn. 2 et 3 duplici opinione, ita pergit n. 4 : « Hinc deducitur primo, a fortiori teneri subditum obedire, quando constat rem præceptam esse licitam et tantum dubitat an excedat regulam et limites potestatis superioris; quia minorem auctoritatem habet superior in res, de quarum bonitate dubitatur, quam dum solum dubitatur, an excedant limites suæ jurisdictionis » [de hac ratione judica ex præcedentibus]. « Si ergo in prioribus tenetur subditus obedire [vide supra], tenebitur a fortiori in posterioribus. Item quia tunc constat rem præceptam non esse malam, et ita tenentur fateri DD. num. præc. allegati ». Unde quidquid sit de sententia horum auctorum (quos citavit, Adriani, Vasquez, et fere Salas) in quæstione, in qua eos adducit Sanchez, an oporteat aut liceat obedire superiori in dubio an res præcepta sit licita, nihil ex iis concludere licet quoad hanc nostram quæstionem ubi, notante ipso Sanchez, « constat rem præceptam non esse malam, et ita tenentur fateri Doctores allegati » quod scilicet sit obediendum.

Castropalao. 291. Idem omnino animadvertendum occurrit de altero a Lugone citato, Castropalao, qui eodem modo duplicem quæstionem confundit.

Conclusio. Merito concludimus : 1° sententiam suam, quam vocat Sanchez verissimam, ita revera se habere si generatim agatur de obediendo superiori in dubio, sicut cum Suarez solvimus, non tamen generatim idem dici posse in materia dubie licita quæ præcipiatur, ut supra ex Lugone diximus. Unde debuisset Sanchez potius ut exceptionem cæteris limitationibus quas nn. 19 sqq. affert, adjicere illam quam fecimus in dubio de liceitate rei præceptæ. 2° Auctores quos contra sententiam suam affert non dissentire ab ipso in hac quæstione nostra, sed tantum in illa de dubio circa liceitatem materiæ præceptæ. 3° Neque probabilem credimus sententiam generaliter negantem esse obediendum superiori in

dubio de extensione potestatis ejusdem, et modo justo ferendi legem, aut præceptum dandi de materia ex se licita, prout quæstionem determinavimus (1).

292. Non tamen negamus regulæ generali esse quasdam exceptiones et limitationes ob speciales rationes. Jam in quæstione de tributis plures invenies apud Lugo et Lessium ll. cc. Aliquam ponit Castro, quoad obligationem ex voto obedientiæ, quæ ex propria voluntate et intentione metiri debet : hæc autem per se non sese extendit nisi ad materiam certam, quando nimirum aliud non constat, et idem dicendum est de auctoritate in voto radicata, dum e contra obligatio legis metiri debet ex voluntate et potestate superioris.

Unde in dubio per se non esset obediendum in casu voti. Immerito tamen, illud extendens Castro ad votum religiosi, dicit sibi favere Suarez t. 3, *de Relig.*, l. 10, c. 3; Suarez enim id non dicit nisi de voto simplici puro obedientiæ, aliud autem intercedere ait in religioso. Videri potest uterque ll. cc. Reliquæ limitationes de damno sibi vel aliis imminente, et de incommodo, nihil ad præsentem quæstionem faciunt, quia tunc vel superior obligatio charitatis intervenit, vel spectant ad inferius dicenda de causis eximentibus et excusantibus.

293. Sed de casu probabilitatis jam agendo, idem Card. de Lugo iterum affert duplicem sententiam in quæstione speciali de tributis, primam affirmantem obligationem solvendi pro qua citat, præter Suarez quem adduximus, Vasquez et Turrianum ; alteram negantem quam ut veriorem amplectitur, et citatis pro eadem Navarro, l. 3 *de Restitut.*, p. 3, dub. 13 in fine, et Sanchez, l. jam cit., n. 7, ita pergit : « et a fortiori idem docent quotquot dicunt subditum probabiliter judicantem rem præceptam esse supra potestatem præcipientis, posse non obedire; quam sententiam late probat Castropal. dict. tract. 1, disp. 2, p. 6, n. 5, et ipse Suarez, t. 5. *de Censuris*, disp. 4, s. 6, n. 6 in fine, fatetur, non esse

De casu probabilitatis. *Doctrina de Lugo et eorum quos citat.*

(1) Vide auctores magno numero citatos apud Jo. Sanchez, in *Select. Dispp.*, disp. 33, qui hanc nostram sententiam defendit, quamvis in casu probabilitatis nobis adversetur, ut mox videbimus.

obligationem obediendi, quando saltem manifeste probabile est mandatum esse supra potestatem præcipientis. »

294. Plura hic animadvertenda habemus, et 1° quidem valet observatio supra posita, ex sententia auctorum de solvendo tributo nihil per se concludi quoad nostram quæstionem generalem. Et re quidem vera ipse Sanchez, l. c., n. 6, ex professo impugnat sententiam asserentem subditum posse non obedire si probabiliter aut probabilius opinetur rem præceptam esse malam ; et a fortiori proinde si opinetur rem de se licitam excedere potestatem superioris, quæ duo in dubio negativo distinguenda esse diximus, in casu vero probabilitatis in idem recidunt. Imo confutat Suarezium l. cit. a Lugone, docentem : secus dicendum esse si manifeste probabilius sit (ita Suarez, non vero ut Lugo refert : manifeste *probabile*, quod in idem non recidere juxta sensum Suarezii, mox videbimus) præceptum esse injustum, quia tunc est valde probabile non teneri subditum obedire. Cæterum nobis videtur aliter intelligendus Suarez, quam eum Sanchez et Lugo intellexerunt. Cum enim ex professo l. c. *de Legibus* doceat : subdito constare debere de injustitia ut non teneatur obedire, immerito eidem tribueretur sententia diversa alio loco, eo vel magis quod ibidem l. c. *de Censuris*, advertat : breviter se dicturum de hac re, quia per se spectat ad materiam de legibus, adeoque expresse ad priorem locum remittat. Quid autem intelligat per illud *constare* debere ipse clare explicat eodem loco de *Legg.*, n. 19 in fine et 20 initio : quod si definitum judicium opinativum habeat subditus de injustitia legis, sine resistentia quasi contrarii, ita ut illud æquivaleat morali certitudini, tunc posse non obedire ; non vero si opinetur quidem probabiliter legem esse injustam, at simul judicet contrarium esse probabile. Si itaque esset aliqua obscuritas in altero loco ubi obiter tantum rem attingit, ea esset tollenda ex loco quo ex professo rem exponit. Sed neque hic locus qui objicitur *de Cens.*, disp. 4, etiam per se inspectus tantam difficultatem habet ; ita sonat : « ut... lex et censura nulla existimetur, oportere errorem et iniquitatem ejus esse indubitatam et moraliter

In particulari Sanchez.

Explicatur locus quidam Suarez, De Cens., disp. 4.

certam, ita ut res dubia non sit, nam in dubiis parendum est superiori, qui jus præcipiendi habet ac possidet... Propter quod idem ego censeo, licet de legis injustitia probabilis sit opinio, aut verisimile judicium sine temeritate formari possit : quia dummodo justitia legis probabilioribus rationibus, vel certe æque probabilibus nitatur, id mihi satis esse videtur ut valida sit... Si enim subditis licet ex probabilibus rationibus formare judicium prudens et practice certum ad operandum : cur non etiam hoc licebit superiori ad ferendam legem et præceptum?... Quod si ipse juste et recte ita præcipit, alii certe obedire tenentur... Quod si quis objiciat commune dogma theologorum, unumquemque operari posse juxta suam opinionem probabilem. Dicendum est illud esse intelligendum de opinione practice probabili, id est in ordine ad opus, et non in sola speculatione : in præsenti autem, licet possit esse utrimque controversia probabilis, an hoc quod præcipitur justum sit necne, tamen posita lege, jam non est probabile quin oppositum malum sit, quia non est probabile quin hæc lex sic lata valida sit et justa. Vel certe dici etiam potest, illud axioma intelligi in causa pari : hic autem in hoc est imparitas, quod jus et potestas superioris præeminet, semperque præferri debet. Dixi autem : dummodo justitia legis saltem æque probabilibus rationibus nitatur; nam si oppositum sit manifeste probabilius, etiam est valde probabile subditos posse se excusare ab observantia talis legis. » Satis indicat Suarez quoties justitia est certo probabilis obediendum esse, licet etiam injustitia sit probabilis, atque in illo casu jam non esse probabile legem non esse validam. Addit autem quasi dato non concesso : sit utrimque probabile in casu posse superiorem valide præcipere, et non posse; nondum poteris sequi tuam opinionem probabilem ipsum non posse, quia est imparitas (1). Hæc

(1) Idem animadvertit Sanchez, l. c., n. 7. Si daretur opinio probabilis dicens in aliquo casu non teneri subditum obedire superiori, tunc non teneri subditum, licet posset, quia potest alterutram opinionem tuto sequi; etiamsi crederet opinionem faventem superiori esse probabiliorem. Illam tamen probabilitatem se non teneri obedire, nullatenus sequi ex eo quod

autem imparitas non tollitur nisi justitia et injustitia non sint æque probabiles, sed sit injustitia manifeste *probabilior*. Quod non necessario ita intelligendum est ut manendo utrimque intra limites meræ probabilitatis, sit sermo tantum de gradu et excessu quodam, sed intelligi potest ita ut rationes adeo probabiliorem reddant injustitiam, ut justitia non sit amplius æque ac injustitia probabilis, sed hæc sit moraliter certa. Quod autem ita sit intelligendum, clarius convincit locus citatus *de Legibus*.

295. Atque hic utiliter in mentem revocamus quæ de duplici modo formandi conscientiam, et de modo loquendi auctorum præsertim antiquiorum disputavimus. Non enim plane synonyma sunt hæc duo : quando duæ sententiæ sunt practice probabiles, potest quisque sequi utramvis partem; et potest unusquisque sequi suam opinionem practice probabilem; quamvis ambo sint vera. In hoc enim altero dicto nihil enuntiatur de probabilitate sententiæ oppositæ, nisi quod ponatur non excedere limites meræ probabilitatis, potest autem esse probabilior vel minus probabilis tua opinione, vel etiam improbabilis; et ratiocinaris in ordine ad regulam formalem et subjectivam morum : quotiescumque prudenter credis te non esse obligatum, et hanc formas opinionem, non potes peccare, quia juxta conscientiam agis, nec necesse est attendere ad ulteriora principia indirecta, et hoc sensu verum est te sequi debere opinionem probabiliorem, i. e. tuam, quæ consequenter saltem ad assensum probabilior tibi erit; quia secus ageres contra conscientiam. In priori vero dicto, absque eo quod aliquam opinionem efformes, concludis ex principiis indirectis seu, ut sæpius dicunt, reflexis, objective obligationem esse incertam, eo ipso quod practice probabile sit eam non esse; imo obligationem non esse directe concludis, si ita sit manifeste probabilior non obligatio ut obligatio dici nequeat probabilis; quamquam in omni casu ultimatim ad eamdem radicem et principium demonstrandi absentiam obligationis, est deveniendum.

probabiliter opinetur subditus rem esse malam aut excedentem limites potestatis superioris.

296. Inspiciamus jam Castropalao, qui l. c. n. 4, fatetur nostram sententiam esse communem auctorum, inter quos ait, sunt Vasquez, Corduba, Salas, Sylvest., Sayrus, Ant. Perez, Th. Sanchez, Villalobos, Azor. « Verum, » addit n. 5, « licet hæc communis sententia in praxi semper consulenda sit, audeo tamen affirmare valde probabile esse te obligatum non esse superiori præcipienti obedire quando opinionem habes probabilem illicitam rem esse imperatam vel excedentem ejus jurisdictionem. » Deinde affert argumenta et respondere conatur rationibus nostris : qua de re statim dicemus, post crisim auctorum, quia tunc omnium rationes simul ante oculos habebimus. *Castropalao et quos citat.*

Pergit itaque : « Eam absolute defendit Jo. Sanchez, in *Select. Disput.*, disp. 33, n. 32, et Ledesma, *tract. de los estados*, ubi *de religiosos en comun*, cap. IV; consentit ex parte Suarez, *de Cens.*, disp. 4, sect. 6, et clarius *de Legg.*, l. 6, c. 8, nn. 3 et 6 » et deinde refert ibid. numerum 4. Et addit videri favere Henriquez, l. 12 *de Matrim.*, c. 6, n. 7, quatenus dicit conjugem debere reddere debitum petenti, dum non est certus per consensum opinativum probabiliorem, matrimonium non esse, quod a fortiori de subdito respectu Prælati diceret, et clarius *de Irreg.*, l. 14, c. 3, num. 3, com. litt. X, ubi affirmat in dubio locum esse epikiæ. Idem Corduba, Sylv., Sanchez, *de Matrim.*, l. 2, disp. 41, n. 37 ubi ait Doctores illos qui dicunt locum esse epikiæ in dubio, non de dubio æquilibrio sed de formidine intelligendos esse, quando nimirum est probabile judicium, licet cum formidine oppositi. Sayrus in dubio probabili an licita sit res præcepta, non semper obediendum esse dicit, et a fortiori, ait idem Castro, dicere idem debent qui in dubio stricte dicto deobligant quos refert disp. 3, punct. 13. Solus Th. Sanchez consequens sibi est, obligationem obediendi asserens etiamsi opineris superiorem non esse legitime electum, *in Decal.* l. 6, c. 3, n. 30. Hæc Palaus.

297. At plura de hisce observanda habemus. Et 1° quidem, auctores qui in dubio deobligant, a fortiori non dicere idem in casu probabilitatis, nisi distinguant dubium de liceitate *Crisis illorum auctorum.*

rei præceptæ a dubio an res illa simpliciter excedat limites potestatis et de hoc ultimo agant, ut satis ex præcedentibus elucet. Jam vero ex illis quos Castro adducit l. c. disp. 3, punct. 13, nullus est qui in hoc altero dubio respondeat non esse obligationem, nisi forte Rodriquez quem legere non potui. Adrianus enim, *Quodl.* 2 (anni 1491), p. 2 agit de dubio circa liceitatem sicut et Salas. In puncto vero 1° « cum apud doctores vertitur in dubium : an prælati auctoritas se extendat ad certum actum præcipiendum, qui indubitanter est licitus : an in tali dubio tenemur obedire » post argumenta pro et contra, et quædam prænotata « pro solutione quæsiti pono hanc conclusionem. Nulli licet agere de quo dubitat an sit mortale peccatum si certus sit quod oppositum agendo non peccabit. Quod addo : quia si dubitet de utroque contradictoriorum an liceat, jam currit casus articuli sequentis » (i. e. puncti 2°). « Et extendo hic agere ad omissionem quæ etiam actus peccati dicitur ». Et infra : « In dubio cum certum est licere quod præcipitur, tenemur obedire, quod intelligo de dubio apud animum illius cui aliquid præcipitur, non quia doctores alii de illo dubitant. Si enim habeat æstimationem rectam seu veram et non movetur ex contraria doctorum opinione ad dubitandum, non obligatur quovis modo obedire ». Id est si nullatenus dubitat quin prælati auctoritas ad talem actum præcipiendum se non extendat.

Ex quibus jam patet, et ex tota disputatione in hoc 1° puncto et sequentibus, non plus probare Adrianum, quam non licere agere contra conscientiam, seu cum dubitatione formali. Et quando in tribus illis punctis passim contendit uxorem non posse debitum reddere nisi dubium deponat de impedimento annulante matrimonium non obstante declaratione Ecclesiæ in *cap. Dominus de secundis nuptiis*, et *cap. Inquisitioni de sent. excomm.*, id dicto sensu est intelligendum : quod secus uxorem contra conscientiam agere ipse credit, quia non distinxit inter dubium de valore matrimonii, et alterum dubium de honestate redditionis

debiti, quod deponi potest manente priore, ut optime notat Terillus (1).

Vasquezium autem quem in casu probabilitatis favere nobis fatetur Castropalao, tamen hoc loco citat contra nos in casu dubii, cum juxta dicta a fortiori deberet contra nos stare in casu probabilitatis qui nobis in casu dubii adversatur; hoc solum sufficeret ad ostendendum hæc dicta non recte procedere. Cæterum Vasquez (in 1m 2æ, q. 19, disp. 66, c. 9) dicit dubium esse deponendum, at si deponi non possit utique sequendam esse conscientiam. Hoc sensu dicit veram esse Adriani sententiam; et, contra, ex probabilitatis casu in quo obedire oportet, concludit ad casum dubii. 2° Distinguendus etiam est superior cui vi voti obediendum est, ab alio, juxta superius dicta. Et quamvis in religiosis aliud intercedere dicat Suarez, ipse Castro tamen omnino contendit obligationem obedientiæ ex sola voventis religiosi intentione metiendam esse adeoque ad materiam certam per se restringi. Inefficaciter proinde contra nos adducit qui dubium hoc præsens relate ad religiosos tantum solvunt, ut, ex ipsa citatione quæ est de religiosis, suspicor de Ledesma, quem legere non potui. 3° Diversa est præsens quæstio ut jam insinuavimus, ab hac altera : utrum subdito liceat *per epikeiam* se subtrahere obligationi quando probabiliter judicat superiorem sibi præcipere rem graviorem, vel cum majori periculo quam possit, de qua re infra; notavimus autem nos nunc excludere limitationes speciales, ubi nimium incommodum, aut periculum damni etc. imminet. Sufficiat nunc audire Suarez, eo ipso loco *de Legg.*, citato a Castropalao, quod certe mirum videbitur : « Quoties », ait n. 6, « epijkia non fundatur in judicio certo, licet excipiat casum a potestate legislatoris, semper debet etiam inniti in conjecturata mente ejusdem legislatoris quod scilicet noluerit talem casum comprehendere. Nam cum non est certum superiorem non posse hoc præcipere propter rei arduitatem aut inordinationem, si ipse superior nihilominus ex certa

(1) Op. cit., Q. XXIII, n. 97.

scientia id præcipiat declarans se posse et judicans in tali actu non esse inordinationem, vel nimiam gravitatem, subditus tenetur obedire, dum non est certus, etiamsi probabiliter judicet, quia prævalet jus superioris, et subditus debet suum judicium deponere, ut est communis doctrina et in praxi necessaria; ergo in illo casu de epijkia non sufficit probabile judicium de defectu potestatis, nisi accedat etiam judicium quod superior in eo casu sic dubio noluerit obligare; ergo cum hoc tantum sit probabile, non sufficit. »

298. Nihil igitur mirum si Castro hac in re plurium loca contra nos adducat quos pro nobis initio citaverat, quasi ita inconsequentiæ eos arguens : Cordub., Sylvest., Th. Sanchez, Henriquez, l. c. *de Irreg.*, Sayrum. Cæterum si fidere possum compendio *Clavis regiæ*, quod solum inveni, pro nostra sententia Sayrum satis clare loqui possum affirmare, ait enim : si de re satis tuta nec evidenter mala agatur, nec aliquod periculum aut damnum immineat, esse obediendum. Prior locus *de Matrim.* ex Henriquez adductus non est ad rem, cum agatur potius de casu perplexo; et, ut jacet, magis favet nobis. Suarez, *de Cens.*, jam satis in præcedentibus fuit explicatus. Tandem in fine Thomam Sanchez, quem, ut modo diximus, implicite inconsequentiæ arguerat, laudat eo quod consequenter procedat et obligationem obediendi astruat etiamsi probabiliter opineris superiorem non esse *legitime electum*, de quo casu non agitur et nostræ opinionis auctores alii aliter loquuntur. At clarissime docet eodem citato loco Thomas Sanchez : in illo dubio non teneri subditum obedire, nisi superior sit in possessione et reputetur verus superior. Et ex hoc præcise capite eum impugnat Joannes Sanchez et arguit inconsequentiæ; quia in utroque dubio de legitima electione et de potestate, æquali modo in dubium vocari dicit idem Joannes possessionem superioris.

299. Manet itaque Castropalao et Jo. Sanchez quorum jam breviter argumenta examinemus.

Argumenta Castropalao examinantur. 1um argumentum.

Tria habet argumenta Castropalao. 1. Qui probabiliter non tenetur obedire, jam est liber. At si probabiliter res præcepta excedit potestatem superioris aut est illicita,

probabiliter non teneris. Ergo. Probat minorem. Quando probabiliter non teneris, ideo fit quia vocatur in dubium possessio superioris. At hic similiter vocatur in dubium potestas ejus, quo nihil efficacius ad deobligandum. Ergo. Respondemus : *negando minorem*. Ad probationem. Vocatur in dubium possessio superioris, ex eo capite quod res probabiliter excedat potestatem, *concedo*; vocatur in dubium ex omni capite, *nego*. Et inde nostrum argumentum. Etiamsi res probabiliter excedat potestatem, dummodo probabiliter non excedat, potest superior valide præcipere. Si ergo reipsa præcipiat, nihil deest ad inducendam obligationem. Primum assertum probatur ex responsione ad 2^m^ argumentum Castro, et secundum declaratur ex responsione ad 3^m^ ejusdem rationem. Dicit itaque :

2. Numquam fuit in possessione superior jubendi illicita vel ultra potestatem. At probabile est ita esse. Ergo probabiliter non est in possessione seu non habet jus. Ergo probabiliter non teneris obedire. Resp. *dist. maj.* : non fuit in possessione jubendi quæ certo sunt ultra potestatem, *conc.;* quæ probabiliter sunt ultra potestatem, sed probabiliter intra limites potestatis, *nego*. Deinde *concessa minore, contrad. consequens :* ergo probabiliter non est in possessione, hoc præcise spectato, *transeat* vel *conc.*; omnibus spectatis et signate hoc, quod ipse est superior utens jure suo, alter inferior, *nego*. Et explico ex collatione cum casu debiti inter duos æquales. Si probabiliter solvisti, probabiliter non debes solvere. Sed qui probabiliter non recepit solutionem, probabiliter potest petere et accipere. Unde hic dubium est jus et possessio juris, et ideo quisquis de facto possidet potest retinere, ita ut alter si ipsi res traditur, possit accipere, donec certitudo adveniat. Sed inter superiorem et subditum ; si superior potest probabiliter imperare, et reipsa imperat, cum sit superior et auctoritative petat tamquam superior; inferior autem negare non possit superioris jus utendi auctoritate probabili : patet subditum, quamvis antecedenter speculative probabile esset eum non posse ligari, jam de facto, posito imperio non probabili sed certo ligatum

2^m^ argumentum.

constitui et practice probabile non esse eum obedire non debere. Quod addit 3. excusare a præceptis Christi et Ecclesiæ opinionem probabilem. Ergo a fortiori hic. *Distinguo* : ideo excusat opinio probabilis, quia dubium est de extensione potestatis Christi et Ecclesiæ, *nego;* ideo quia non constat sufficienter de extensione voluntatis et præcepti, *transeat.* At nos, ut diximus, ponimus voluntatem omnino manifestam præcipientis et legem debite promulgatam.

3^m argumentum.

Inepte respondet rationibus nostris.

300. Respondet demum rationibus nostris : quod sub opinione licitum est aut excedens potestatem, sub opinione tantum jus habet superior præcipiendi. Sed addimus, si probabiliter jus habet, potest eo uti, si ergo reipsa utatur, erit obediendum. Deinde distinguit, quod spectat ad spoliandum aliquem possessione, inter proprietatem et possessionem, quatenus hæc sunt omnino separabilia, et non spoliatur superior possessione auctoritatis, negando jus ejus et potestatem in incertis. Sed nos jam sæpius advertimus melius esse non nimis inhærere verbis et formulis, quando autem dicimus : possidet superior, intelligimus, eum habere jus præcipiendi quæ prudenter potest credere contenta intra limites suæ potestatis, etsi probabiliter excedentia suam potestatem; et si præcipiat ei esse obediendum, eo ipso quod est superior, seu in possessione superioritatis, contra ac ille qui probabiliter non est legitime electus, et nondum communi errore cum titulo colorato agnitus. Cæterum patet manere omnino inconcussum argumentum nostrum. Quod addit de redditione debiti non est ad rem, cum ibi agatur potius de casu perplexo seu de duplici obligatione in contrarium, ut diximus, nec de cætero infringit rationem a nobis allatam.

Jo. Sanchez.

301. Joannes Sanchez dicit Salas non intelligere discrimen inter hæc duo : opinari probabiliter esse illicitum, et opinari se non teneri obedire, neque se id intelligere addit, adeoque summatim affert rationem suæ opinionis nobis adversæ hoc syllogismo : « In rebus illicitis, non tenetur parere subditus. Sed modo opinatur probabiliter esse illici-

Præcipuum ejus argumentum solvitur.

tum. Ergo probabiliter quoque judicat se non teneri. » At sufficienter ostendimus esse purum sophisma, nisi consequens intelligatur cum hac limitatione : ergo *ex hoc præcise* capite in minori expresso, *non vero absolute* et omnibus inspectis *adeoque practice* probabiliter judicat se non teneri.

Respondetur reliquis rationibus ab eo allatis.

Reliqua autem quæ addit non sunt ad rem : affert enim exempla ubi nulla est paritas, ut de confessario qui non potest imponere suam opinionem pœnitenti ; de judice, et de reo qui non debet ex probabili opinione respondere in certis adjunctis, sed inspicienti manifestum est ibi probabilitatem esse practicam ex specialibus rationibus ; de tributis, de quibus satis diximus non esse concludendum ad solutionem quæstionis generalis ; item quæ habet de non deserenda propria opinione nihil ad rem faciunt ; concedit deinde nos verum dicere in dubio, at licitum est, ait, subdito sequi opinionem probabilem, quod non negamus sed addimus si superior sequatur opinionem probabilem oppositam, ad quod jus habet, ipsius jus prævalere, modo explicato ; rogat insuper : si ibi verum non est te probabiliter non teneri obedire, ubi ergo id fiet? Dicit tamen Th. Sanchez vobiscum : quando probabiliter non teneris, tunc jam te liberum esse. Ad hæc reponimus : etiamsi id nullibi fieret, nihil inde deduci ; fiet autem, ubi probabiliter non est legitime electus superior et nondum est in possessione, ut diximus cum eodem Th. Sanchez ; vide dubium unicum art. 1, et dubia art. 2.

Tandem respondet objectionibus quas nos non facimus ; et denique rationem affert : bellum posse justum esse ex utraque parte ex ignorantia invincibili, ut contingit in hoc casu probabilitatis, quod nos non negamus sed dicimus hic non esse casum inter superiorem et subditum. Hæc breviter adjecimus, ad respondendum tamen sufficient illi qui legere velit Jo. Sanchez, l. cit.

302. Hæc sint in exemplum, quomodo crisis auctorum fieri debeat et indagari quousque certa aut probabilis sit aliqua obligatio. Ex omnibus dictis concludo mihi non esse

probabilem sententiam Castro et J. Sanchez, neque intrinsece neque extrinsece; non tamen absolute asserere velim objective probabilitatem deesse.

ARTICULUS QUARTUS.

303. Cum superior et subditus correlativa sint, et unum non possit esse prius altero, neque unum sine altero, ut advertit Suarez, hic non potest dubium moveri nisi, posita auctoritate superioris in determinatam categoriam subditorum, de defectu tituli subjectionis in aliquo individuo homine, quo fiat ut ille non sit de numero illorum subditorum, vel saltem licet alias subditus hic et nunc non subjiciatur. Neque sermo esse potest nisi de lege humana, cum omnis homo natura sua Deo sit subjectus.

Dubia ex parte subditi.

Sunt tria : I^m.

304. Triplex dubium præsertim occurrere potest : I° aliud circa fundamentum ipsum seu titulum subjectionis, ut est respectu legum Ecclesiæ, baptismus; et respectu legum particularium, domicilium aut quasi-domicilium in loco; II° aliud, fundamento subjectionis supposito, circa conditionem requisitam ut capax sit imperii subditus, qui est usus rationis. Hæc capacitas imperii in subdito aliter se habet respectu Dei legislatoris, aliter respectu legislatoris humani. Sufficit enim quod existat creatura rationalis ut capax sit saltem in actu primo divini imperii; nam potest illi Deus imperare, etiam interna illustratione, et miraculosa manifestatione suæ voluntatis ante naturalem usum rationis, cum autem naturaliter Deus ipsa hominis ratione et conscientia manifestet suum imperium; et in præsenti ordine, intrinsece ratione fide illuminata, et extrinsece per propositionem Ecclesiæ, naturæ et gratiæ legem et positiva præcepta supernaturalia revelet, sequitur hominem in actu secundo et subjective obligari statim ac conscientia illa percipit et pro modo atque progressu quo illa percipit. Neque videtur aliquid ad rem facere discrimen quod affert Sanchez inter pueros et amentes (l. mox citando),

II^m Dubium.

Capacitas imperii in subdito aliter se habet respectu Dei aliter respectu hominis legislatoris se habet.

quod in prioribus sit absentia, in posterioribus privatio, defectus rationis; hoc quidem verum est, sed sufficit ut pueri respectu Dei sint capaces etiam remote imperii, ad hoc ut in actu primo obligentur nec adeo possint alii eos ad transgressionem inducere, et licet sit naturalis defectus eos tamen non eximit sed pro tempore excusat. Ad hoc vero ut legislator humanus imperare alicui possit, non sufficit sit homo, alias subditus, sed requiritur omnino ut in illo homine usum rationis exspectet legislator, adeoque non censetur hic suam voluntatem manifestare et imponere nisi supposita capacitate illa in subdito, quæ est usus rationis, neque adeo etiam in actu primo obligat illos qui non utuntur ratione. Inde fit 1° quod nullum sit peccatum ne materiale quidem, in iis qui rationis usu carentes præceptum humanum infringunt, sed materiale peccatum sit si divinum præceptum infringant; 2° nullus sit dubio locus in præcepto divino quoad præsens institutum, neque respectu Dei, ut patet, neque respectu illius de cujus ratione forte alii dubitant, cum ipse sequendo conscientiam, si adest, coram Deo bene agat, respectu vero illorum qui curam habent talium de quorum usu rationis dubitant, donec non constat de obligationis subjectivæ capacitate, (vide dubium mox solvendum) non debent imponere obligationem positive, quia saltem excusantur et ipsi et sibi commissi, etiamsi errore invincibili credatur non adesse usus rationis cum adsit, numquam tamen possunt positive inducere ad præceptum divinum transgrediendum. In præceptis vero humanis, donec non constat de usu rationis, plane deficit obligatio etiam objectiva, et ita possunt v. gr. dari carnes die vetito pueris. Sed de hisce statim recurret sermo. III° Aliud tandem dubium esse potest circa ipsam subjectionem hic et nunc legi proprie dictæ, quæ ex natura sua requirit ut alias subditus in territorio existat vel saltem moraliter censeatur ibidem esse, ut lege teneatur.

Inde consectaria : 1ᵐ.

2ᵐ Consectarium.

IIIᵐ Dubium.

305. In hisce dubiis, quando contra obligationem resolvitur, non ideo lex ex parte sua deficit, ut patet, attamen respectu talis hominis in quo deest titulus subjectionis aut

Notandum in hisce dubiis.

aliud requisitum juxta dicta, non habet virtutem ligandi, ita ut ille non tantum excusetur sed ne materialis quidem peccati sit reus si eam legem transgressus fuerit. Et in hoc adverti potest discrimen cum dubiis quæ versantur circa causam eximentem, quæ, posita lege omnibusque requisitis ad actualem obligationem, alio actu positivo legislatoris, subditum secus jam obligatum eximit, ut est dispensatio, privilegium superveniens, etc. In prioribus enim dubiis, dubium præcise est an fuerit inducta obligatio objectiva, in posterioribus an fuerit extincta, quod in solvendis dubiis non minimam constituit differentiam.

Eorum discrimen ab iis quæ versantur circa causam eximentem.

Dubium Primum.

Dubium 1um. I. An quis sit baptizatus; in ordine ad leges Ecclesiæ.

306. I. Si dubium sit an quis sit baptizatus, an tenetur legibus Ecclesiæ?

Respondetur generatim, ut quis legibus ecclesiasticis teneatur, moraliter seu late dicta saltem certitudine constare debet ipsum esse baptizatum.

Unde in dubio de facto ipso collati baptismi :

1° Si dubium sit negativum, non tenetur.

2° Si utrimque sit probabile, idem est dicendum.

3° Si ita sit probabilis collatio baptismi ut de opposito vera probabilitas deficiat, ut facile in simili quæstione facti continget, sufficit ut talis obligetur, nam in casu æquivalet illa probabilitas certitudini late dictæ, qua sæpe in moralibus major haberi nequit. Quandonam autem res ita se habeat non potest in genere determinari.

In dubio de valore baptismi quem constat fuisse collatum, eadem omnino valent, nisi quod ad 3° notari potest facilius haberi, generatim loquendo, sufficientem certitudinem obligationis in casu quo leve tantum dubium remanet de valore.

Hæc possent cuiquam videri haud valde practica, sed talia tamen sunt apta ad declaranda principia exposita solvendi dubii, et practica sunt in regionibus infidelium et hæreticorum, quorum dubie validus est baptismus. Quibus

autem legibus Ecclesia ex benignitate nolit obligare etiam valide baptizatos hæreticæ sectæ addictos, non pertinet ad præsentem locum.

307. II. Si dubium sit utrum in loco domicilium aut quasi-domicilium habeas, eodem modo respondendum est te non obligari legibus illius loci, donec constet de domicilio aut saltem quasi-domicilio. V. Sanchez, *in Decal.*, l. 4, c. 44, n. 2 fine. *II. An domicilium habeat in loco.*

Dubium Secundum.

308. Si dubium sit de usu rationis. De hoc dubio consuli possunt auctores citandi in decursu responsionis. *Dubium 2m De usu rationis.*

Respondetur 1° generatim. Quotiescumque non constat certitudine saltem late dicta de usu rationis, tales non tenentur legibus humanis etiam in actu primo, ut diximus ; in quantum enim non constat de usu rationis in tantum non constat de capacitate subjectionis, adeoque obligatio est vere incerta et per consequens saltem subjective nulla. *1° generatim.*

2° Quod pueros spectat respectu legum Ecclesiæ : cum sententia affirmans leges Ecclesiæ non obligare pueros ante septennium sit certo extrinsece probabilis, et intrinseco rationabili fundamento non careat : quod nimirum leges non attendant nisi communiter contingentia, septennium autem sit ætas qua completa communiter adest usus rationis ; cumque ea sententia sit certo in praxi tuta et commoda ad removendas anxietates (1), concludere possumus pueros *2° quoad pueros.*

(1) Opinio tenens pueros obligari statim ac sufficienter constat de usu rationis videtur tum intrinsece, tum extrinsece probabilior. Hanc tenent Castropalao, tr. 3, disp. 1, punct. 24, § 24, s. 2, n. 5; Bonacina, *de Legg.*, disp. 1, q. 1, p. 6, nn. 6-9; Sanchez, *in Decal.*, l. 1, c. 12, n. 6; Salmant., *de Legg.*, c. 3, p. 4, n. 52; Azor., p. 1, l. 5, c. 11, Quæsito 4; Mendo, *Statera opin.*, diss. 8, q 4, n. 19; Laymann, tr. 4, c. 10, n. 4; S. Alph., l. 1, n. 154; l. 4, nn. 270 et 1012, aliique apud hos citati, qui plerique disputant adversus Sotum, D. Anton., Emm. Sa, aliosque, qui ante annum duodecimum, aut ante pubertatem pueros non obligari aliqui statuunt. V. Sanchez, l. c. *Duplex opinio examinatur de tempore quo obliganturpueri legibus Ecclesiæ.*

Immerito tamen ex obligatione legis divinæ, et in specie confessionis,

ante septennium non obligari legibus ecclesiasticis. Si vero iterum dubium sit de completo septennio, ut contingere potest in expositis v. gr., tunc exspectetur eadem certitudo late dicta usus rationis sufficientis pro natura legis de qua agitur; deficiente enim regula ex parte ætatis, hæc certe certitudo sufficit ad eos obligandos et præsumitur septennium completum, eo ipso quod rationis usus adest, sicut vicissim completo septennio, si dubium aliquod leve remaneat, usus rationis præsumitur. Si tamen completo septennio nondum moraliter constaret de usu rationis, stante etiam illa præsumptione pro usu rationis, non essent obligandi.

A fortiori, si non constet de ætate pubertatis et maturitate judicii requisita ad hoc ut obligentur legibus pœnalibus, sive ecclesiasticis sive civilibus, non obligantur, cum odiosa sint restringenda.

309. Dicta in hoc dubio secundo, ad illos, ut patet, spectant qui curam habent talium de quorum rationis usu dubitatur et ad judices : quatenus, si tales non obligantur, neque illi tenentur eos impedire quin contra legem agant, aut positive inducere ut eam servent, imo et præbere possunt quibus contra legem agant. Et hoc est discrimen cum lege divina, ut modo supra exponebamus, in qua infringenda est peccatum materiale etiam pro carentibus usu rationis.

cujus tempus determinavit Ecclesia, concluditur a pluribus ad obligationem legum ecclesiasticarum. Est enim discrimen quod notavimus. Nec videtur nobis vim habere quod dicitur : tunc quidem Ecclesiam ad communiter contingentia attendere, cum pro aliqua obligatione determinat certam ætatem, quod fecit, aiunt, pro lege jejunii. Nam ex eo quod Ecclesia certam ætatem non determinat, non sequitur eam non attendere ad communiter contingentia, præsertim si illa ætas apud omnes aut saltem doctos determinate cognoscitur præcise ex communiter contingentibus : unde merito S. Thomas hac ratione utitur (2ª 2æ, Q. 147, a. 4, ad 2m) ad excusandum a jejunio juvenes ante 21m annum completum, nec enim ulla lege hanc ætatem determinavit Ecclesia, (vide summistas, Angelum, Sylvest. v. *Jejunium*); si dicas ipsam consuetudinem esse legem, a pari dicam : consuetudinem non obligandi pueros ante septennium, quæ certo legitima est, eamdem vim habere. Deinde etiamsi anxietates vitari possint etiam in opinione nostra probabiliore, fatendum tamen est facilius esse, si ætate determinata, non vero tempore judicio morali cujusque æstimando exurgat obligatio.

quoniam omnes in actu primo ea obligantur. Idem discrimen ante oculos haberi debet in quæstione de non removendis aut etiam ponendis impedimentis observationi legis.

Propria ratio cur non liceat usu rationis perpetuo destitutos inducere ad peccandum contra legem divinam.

Ex dictis propriam rationem intelliges cur illicitum sit incitare amentes ut contra legem divinam agant, non ita contra humanam; dicit Laymann : quia censetur incitans iis uti tamquam instrumento ad infringendam legem Dei, sed ulterius quæritur, cur ita censeatur facere incitans, et non ubi de lege humana agitur? Hæc igitur ratio est : quia isti materiale peccatum committunt, incitans autem deliberate ad malum materiale, voluntate sua illud participat adeoque formaliter peccat.

Aut etiam accidentaliter tantum ratione privatos ad peccandum in legem humanam.

Et simili modo ostenditur illicitum esse v. gr. præbere carnes ebrio, die vetito, non vero pueris aut amentibus; quia respectu illius, non respectu horum est obligatio objectiva legis abstinentiæ. Cf. Salm. et ab ipsis citatos, tr. *de Legg.*, c. 2, p. 10, nn. 158-160; et c. 3, p. 4, nn. 47-49; necnon Sanchez, l. cit.

Dubium Tertium.

Dubium 3um. Directe solvi possunt quæ de peregrinis et vagis disputant auctores.

310. Quæ de peregrinis et vagis disputant auctores possunt directe solvi, ut nobis videtur, attendendo ad duplex requisitum (initio hujus articuli) ut quis lege proprie dicta obligetur : quotiescumque enim quis non est simul membrum communitatis aut ut talis habendus, simulque sive physice sive moraliter præsens in territorio, non solum probabile sed certum est eum lege non teneri. Quod autem quis habeatur ut membrum communitatis licet alias non sit, et censeatur moraliter præsens in territorio quamvis physice absens. id vel ex natura legis fit de qua agitur, ut sunt leges præscribentes formam contractus; vel ratione delicti; vel ob peculiarem exigentiam boni communis. Quod quidam addunt ratione scandali posse aliquem obligari ad servandas leges, id non vi legum illarum sed juris naturæ fieri manifestum est. Quod tandem jus commune servandum sit ubi

viget, etsi in proprio territorio forte non vigeat, id inde oritur quod ubique sit territorium juris communis, et unusquisque absque privilegio et exceptione, illo tenetur.

Si vero dubitetur an sis in territorio legislatoris?

311. Remanet tantum quæstio generalis : an lege teneris si dubium sit an sis in territorio, quocumque modo dubium istud exurgat, puta quia dubitatur an locus in quo versaris sit exemptus? (1)

Ad hujusmodi quæsitum, simili modo quo supra, est respondendum : quousque non constat subditum esse in territorio eum lege non teneri, cum præsentia illa conditio sit ex ipsa natura legis prærequisita ad hoc ut obligatio ipsa objectiva subditum attingat.

ARTICULUS QUINTUS.

Dubia circa qualitatem et quantitatem obligationis objectivæ inducendæ.

I.

De qualitate obligationis.

312. Quamvis dubia nunc solvenda aliquo modo ad generale dubium de sensu et interpretatione legis reduci possint, ea tamen ad hunc locum claritatis causa specialiter tractanda remisimus. Sunt autem plura :

Varia dubia proponuntur.

An lex sit pure pœnalis, an vero simul prohibens?

An lex sit irritans ipso facto, an vero actum irritandum tantum declaret?

An sit de exercitio actus, an vero de actus specificatione?

An in casu legis fundatæ in præsumptione juris, sive juris sit sive juris et de jure, nitatur præsumptio in periculo communi an vero in facto particulari?

(1) Simile exemplum habes apud S. Alph., l. 1, n. 157 ; cf. l. 7, n. 24; qua de re tamen omnino vide Suarez, *de Cens.*, disp. 5, sect. 4, n. 6.

Et in hoc altero casu, an factum illud subsistat necne? sed hoc remittitur ubi de applicatione legis.

313. Ante omnia in mentem revocamus quod supra de duplici interpretatione legis diximus : aliam nempe esse impropriе dictam, quæ aliquid operatur circa legem ei addendo aliquid vel demendo, quæ a solo legislatore per novam promulgationem fieri potest et potius nova lex est ; aliam proprie dictam, quæ est mera declaratio sensus obscuri legis, nihil tamen legi addens aut demens quod prius verbis legis, inspectis adjunctis in quibus lata erat, non contineretur, quamquam aliquo modo obscure; quæ si fiat ab ipso legislatore authentica est, et hoc sensu jam lex obligat etiam subjective omnes quibus ita innotescit, sine nova proprie dicta promulgatione; fit autem etiam a privatis doctoribus et tunc doctrinalis vocatur. *Monitum de duplici legis interpretatione.*

314. Cum autem regulæ interpretationis non tantum valeant ut determinetur qualitas obligationis sed etiam ejusdem gravitas, et extensio ad certam materiam certosque casus et personas, facile intelligitur quantopere necessarium sit eas regulas rite perspectas habere, ut recte judicetur quousque dubium sit de hujusmodi objectis, earumdemque regularum nescium nonnisi temere et erronee sæpe ut dubia habere quæ sapientibus certa sunt. Fieri tamen nequit ut eas regulas earumdemque applicationem exponamus (1), eo vel magis quod potius in solvendis dubiis quam in indagandis quæ dubia aut probabilia ubique sint versamur, meritoque proinde nunc ponimus dubia non mere subjectiva et temeraria, sed post adhibitas interpretandi regulas requisitamque diligentiam perseverantia suoque modo, ut sæpe diximus, objectiva; sub diligentia requisita etiam comprehendendo interrogationem superioris, si ea fieri debeat et tempus suppetat : hæc enim consultatio superioris etiamsi in foro interno nonnumquam minus urgeat, ut supra insinuavimus, et possit subditus formare conscientiam libertatis donec superior non satis clare eamdem coarctaverit, simul *De interpretationis regulis.* *Quid hic debita examinandi diligentia comprehendat.*

(1) Regulas interpretandi breviter exponit Laymann, l. 1, tr. 4, cc. 18 et seq.

tamen poterit esse necessaria ut subditus securus sit in foro externo, quia sensum meræ declarationis suæ legis potest superior sequi relate etiam ad casus præteritos.

Præmittitur dubium circa ipsam interpretationem.

315. Hisce positis, præmittimus dubium circa ipsam interpretationem, quod proin usui esse potest in omni specie dubii de sensu et extensione legis. Cum videlicet lex possit esse odiosa vel favorabilis, adeoque strictæ vel latæ interpretationis, quæritur : si dubium sit omnibus inspectis, an primario favorem impertiat, an potius primario onus et gravamen imponat lex, quomodo erit interpretanda?

Respondetur : In casu legem censendam esse simpliciter favorabilem, adeoque latæ interpretationis, quod cum principiis de dubio circa legem omnino congruit, et ex superius dictis proinde statim intelligitur.

Solvuntur alia dubia initio posita.

316. Jam accedamus ad solvenda dubia initio posita. Cavendum imprimis est ne credamus legem, quoad eam partem seu extensionem quam latiorem voluit expressam suis verbis legislator et potuerunt intelligere subditi, at non necessario debuerunt quia, omnibus inspectis, potuerunt etiam restrictius accipere; illam legem, inquam, non induxisse obligationem objectivam : quamvis enim, orto dubio publico et accipientibus subditis sensu restrictiore, non sit ante declarationem superioris obligatio perfecta et quoad omnem effectum, ut cum Sylvio distinximus, adeoque non sit locus culpæ formali contra extensionem latiorem, defectu scientiæ; est tamen obligatio objectiva de tota extensione, adeoque obtinebunt illi effectus, qui non egent per scientiam applicari, ut v. gr. effectus irritandi, si fuerint intenti a superiore cum legem ferret (et non sit, ut ponimus, defectus propriæ promulgationis); idque verum est, etiamsi subditus legem illam, quæ v. gr. simul irritans sit et prohibens, merito ob defectum certitudinis non habuerit ut irritantem, aut ut irritantem talem vel talem actum; et, declaratione authentica facta, poterunt etiam omnes actus præteriti contra illam legem irriti esse; etsi idem non obtineret si ageretur de defectu propriæ promulgationis. Hoc valde notandum est : dubium enim et probabilitas,

Monitum magni momenti quoad legem irritantem.

ut fuse ostendimus, nihil efficiunt nisi versentur præcise circa liceitatem et honestatem, neque pendet a scientia vel defectu scientiæ quod lex irritet vel non irritet actum, quamvis non possit induci culpa formalis absque conscientia obligationis ponendi vel omittendi actum. Potest porro superior, ut diximus, defectum illum tollere tollendo dubium, sine promulgatione sed sola authentica declaratione prioris suæ voluntatis quam verbis legis expressam voluit. Vel si utile judicaverit, potest omnem obligationem objectivam quoad illam partem tollere, revocando suam voluntatem priorem, cujusmodi revocationis tacitæ signum est si legislator declaret simpliciter hanc esse suam voluntatem, non exprimendo quænam fuerit prior voluntas, aut non animadvertat in illos qui contra agunt et taceat cum facile possit loqui. Potest etiam fieri ut lege promulgata, illa aliqualis obscuritas legislatori innotescat, antequam in notitiam communitatis deveniat, aut tempus eam observandi advenerit, et tunc aliquando prudentiæ est exspectare subditos quomodo legem in usum sint deducturi. Stante autem dubio, quousque non intervenerit legislator, non tenentur subditi obligatione duriori, nisi moraliter de ea constet, quia quidquid sit de obligatione objectiva, non potest in subjectivam transire et culpam formalem inducere nisi per scientiam : sibi tamen cavere debent in foro externo et quoad culpam juridicam, et effectus independentes a scientia, ut est irritatio actus.

Solutio generalis.

317. Facilis est applicatio. Si itaque omnibus rite inspectis vere dubium manet de lege pœnali an sit mere pœnalis an vero simul prohibens, censenda est mere pœnalis : quod raro continget, quia generatim lex pœnalis simul est prohibitiva.

Solutiones speciales : Solutio 1.

Si, omnibus debito modo ponderatis, dubium est utrum lex irritans sit mere talis an vero etiam prohibens, censetur non prohibitiva directe. Si dubium an irritet ipso facto, censetur non ita irritare ; si dubium an lex irritans aut inhabilitatem decernens etiam præteritos actus afficiat, censetur non afficere.

Solutio 2.

Solutio 3. Si, iterum omnibus diligenter investigatis, dubium maneat an lex dans formam actui sit de exercitio actus an de actus specificatione, censetur esse tantum de actus specificatione.

Solutio 4. Si, iisdem positis, dubium sit an lex fundetur in præsumptione periculi communis an vero facti particularis, (si tamen, omnibus inspectis, hoc dubium sit possibile) potest iterum eligi pars favens libertati.

318. Sedulo adjecimus et constanter : *omnibus inspectis*, difficultas enim præcise in hoc est, ut adhibitis regulis interpretandi, inspecta ipsa natura legis omnibusque adjunctis, statuatur recte quandonam vere dubium sit objectivum (1); non vero in ipso dubio, de quo ita vere constat, solvendo, cum semper idem sit principium : obligationem non esse, adeoque nec talem rigoris majoris aut minoris, nisi de ea qua tali constet.

Obiter notamus eadem quæ hac in re examinanda sunt, de natura legis, de sensu ejusdem et extensione, ac qualitate, etiam usui esse ubi quæritur an liceat legi alicui implendæ apponere, aut etiam ab eadem non removere impedimenta. Quoties, omnibus illis diligenter inspectis, manet vere probabile id fieri posse, licite fit.

II.

De quantitate obligationis.

319. Obligationis gravitas pendet ex duabus causis : a gravitate materiæ formaliter consideratæ ut hic et nunc est materia præcipienda, et a legislatoris voluntate qui licet in materia undequaque levi non possit, si sit legislator humanus, sub gravi præcipere, potest tamen in materia per se gravi sub levi obligare. Unde duplex dubium :

Dubium duplex :

1m in dubio an voluerit legislator sub gravi præcipere.

1° Si dubium sit utrum legislator voluerit obligare sub gravi, omnibus rite perpensis : censetur voluisse sub levi.

(1) Cf. quæ diximus n. 246, 3°.

In hoc autem satis intelligitur potissimum attendendum esse ad auctoritatem doctorum et praxim atque sensum sapientum et proborum. Similiter consuetudo, in dubio post omnem diligentiam perseverante (semper enim notandum est nos non agere de dubiis subjectivis), censenda est potius devotionis quam obligationis, et levis potius quam gravis; lege Suarez, *de Legg.*, l. 7, c. 15, n. 15.

2° in dubio an materia sit capax gravis obligationis.

2° Si dubium sit an materia sit capax gravis obligationis adeoque legislator sub gravi imponens præceptum, ita potuerit agere. Hoc dubium solvendum est ex superius dictis art. 3, II, dub. 2. Unde merito Sasserath, *de Legg.*, n. 22 : « Non facile concludat subditus, hanc vel illam materiam non esse capacem obligationis gravis; quia præsumptio regulariter est pro superiore; communiter enim contingit, quod superiores prudentes, qui maturo consilio aliquid leve præcipiunt sub gravi, habeant causas sibi notas » quibus nimirum fit ut materia illa formaliter considerata jam sit gravis. Ut itaque in casu contra superiorem concludatur, oportet ut præsumptio illa quæ regulariter est pro superiore et certitudinem moralem efficit quod legitime præcipiat, ita contrariis præsumptionibus et rationibus elidatur, ut in sensu composito cum præsumptione quæ illi favet, nondum legislatoris potestas stabiliatur, seu deficiat vera probabilitas eum posse sub gravi præcipere.

Quid requiratur ut contra superiorem concludatur.

Generatim in dubiis de obligationis gravitate, standum est effato S. Antonini (p. 1, tit. 2, c. 11, § 28) : « Nisi ad hoc habeatur auctoritas expressa Scripturæ facere, aut canonis seu determinationis Ecclesiæ vel evidens ratio, nonnisi periculosissime determinatur » (aliquid esse grave). Quod idem fere dixerat S. Thomas, *Quodl.* 9, art. 15, et regula juris enuntiat : « In obscuris, quod minimum est; sequendum est. » Cf. etiam Bonacin., *de Legg.*, disp. 1, q. 1, p. 7, § 4, n. 31, qui merito auctores aliter loquentes ita explicat ut intelligi debeant de dubio ante examen sufficiens, sc. Sala., Tolet., Alp. de Castro, Mart. Ledesma, Medin., Valent. etc. Cf. Suarez, *de Legg.*, l. 3, c. 15, n. 10 fine; Navar. *in Manuali*, c. 23, n. 50; Sanchez, *in Decal.*, l. 6, c. 4. n. 66.

§ II. *Quod spectat obligationem extinguendam.*

ARTICULUS PRIMUS.

Generatim definiuntur inquirenda, et solvitur quæstio de dubiis non pertingentibus ad probabilitatem.

I.

Obligatio objectiva extinguitur vel :

320. Potest obligatio objectiva extingui vel generaliter quoad omnes subditos, vel particulariter cum aliqui ab ea eximuntur.

1° Generaliter. a) ex toto.

1° Generaliter extinguitur *a)* vel ex toto, per abrogationem seu legem revocantem illam ex integro; aut consuetudinem legitimam ei ex toto contrariam; aut desuetudinem (quæ a consuetudine non differt, nisi quod fundetur in omissione actuum postquam lex viguit), aut per cessationem finis legis; aut tandem per mortem superioris, si ex præcepto oriatur; vel *b)* ex parte extinguitur per derogationem, alia lege aut consuetudine vim legis habente ei ex parte adversantibus; aut cessante fine legis quoad partem.

b) ex parte.

Potest etiam suspendi tantum.

Si cesset finis totaliter vel partialiter pro tempore tantum, tum lex pro illo tempore suspenditur, sed non extinguitur definitive.

De extinctione obligationis per non acceptationem seu non usum.

Alia adhuc causa est extinguens obligationem, non acceptatio seu non usus. Non tamen locuti sumus de acceptatione legis ut inducatur obligatio, quia neque de jure, neque ex voluntate superioris, ea est necessaria. Possunt vero esse justæ gravesque causæ ut instituatur supplicatio ad superiorem, imo ut supplicatione facta suspendatur interim obligatio obediendi. Si dubium sit, omnibus rite perpensis, an causa sufficiat ad supplicandum, aut saltem ad suspendendam executionem, potest id fieri, dummodo servetur animus paratus ad obediendum. Quando autem lex simpli-

citer non acceptatur seu non deducitur in usum, etiam illicite, potest post aliquod tempus, positis certis conditionibus, extingui obligatio, et in hoc fere coïncidit non usus cum desuetudine, et eodem modo de utrisque judicandum est.

Vel extinguitur 2° particulariter.

2° In particulari, possunt aliqui eximi ab obligatione manente pro aliis legis imperio. Id autem fit per privilegium, per epikeiam seu cessationem finis in particulari; per licentiam, quæ tamen, cum sit secundum legem, non proprie eximit, sed est conditio, qua posita, vult lex non obligare; per dispensationem; tandem in sola lege proprie dicta, per discessum e territorio.

II.

321. Antequam ad dubia specificanda transeamus, in mentem revocamus duplex generale principium in solvendis dubiis, quod utrumque tandem ex relatione inter libertatem et obligationem deducitur : primum, quod generatim applicatur ubi agitur de inducenda obligatione, ut in § I, hoc est: dubium de obligatione inducenda resolvitur in favorem libertatis; alterum : dubium de obligatione extinguenda resolvitur in favorem obligationis, nisi indirecte fundet certitudinem libertatis. Explico. Quamvis maneat obligatio donec constet de ejus extinctione, hoc est discrimen cum priore principio, ob nativam præcise prioritatem libertatis præ obligatione, quod hic, quando directe non constat sed tantum, omnibus inspectis, vere probabile est obligationem cessasse: indirecte seu ex principio, ut aiunt reflexo, adhuc potest constare et revera constat obligationem non esse saltem talem quæ in subjectivam transeat, quia nulla subjectiva obligatio ubi non est conscientia illius, nulla conscientia obligationis si vere probabile sit eam obligationem non esse. Inde quoad omnia dubia de extinguenda obligatione objectiva sive generaliter sive particulariter, quæ non pertingant ad probabilitatem, statim licet deducere solutionem genera-

Solvuntur generali modo omnia dubia negativa de re præsenti.

lem : dubio neglecto admittendam esse obligationem, adeoque in dubio negativo de abrogatione, derogatione, dispensatione, legis cessatione etc., servanda est lex. Neque necesse erit citare auctores, cum omnes ita loquantur; potes tamen, si velis, hoc responsum nostrum invenire apud Sanchez, *in Decal.*, l. 1, c. 10, n. 34; Lessium, in 1^{m} 2^{æ}, q. 19, a. 6, d. 10, n. 68; Bonacin., *de Legg.*, disp. 1, q. 1, p. 4, n. 44, et p. 10, § 2, n. 3, n. 10, n. 11; Salmant., *de Legg.*, c. 2, p. 6, nn. 112-114; Laymann, l. 1, tr. 4, c. 3, n. 6, et c. 20, n. 5; S. Alp., l. 1, n. 97 fine, n. 99; aliosque apud ipsos citatos.

ARTICULUS SECUNDUS.

De probabilitate obligationis extinctæ.

Remanet solutio in casu probabili.

322. Solutio itaque in particulari non remanet nisi quoad casus probabilitatis, de quibus major potest esse difficultas et multo minus reperies apud auctores; vide tamen Salm., *de statu relig.*, c. 6, p. 6, nn. 60 et 63, et Sanchez, l. modo citato, n. 35, et hic citandos per decursum. Difficultas quidem non est in ipsa solutione dubii, quando jam certo probabile est obligationem esse extinctam; eamque solutionem jam dedimus, sed in eo tota res versatur ut constet quandonam ex diversis probabilitatibus, quæ in particulari versantur circa supra enumeratas causas extinguentes obligationem aut ab ea eximentes, liceat concludere ad illam probabilitatem : obligationem esse extinctam sive generaliter, sive particulariter.

Sit igitur duplex in hoc articulo punctum : unum, de obligatione generaliter extinguenda, quod continebit quadruplex dubium; alterum, de obligatione particulariter extinguenda, seu de causis proprie eximentibus, ubi quinque occurrent solvenda dubia.

I.

De obligatione generaliter extinguenda.

De obligatione extinguenda. 1° Generaliter.

Dubium Primum.

Dubium 1um. In casu dubii de pura revocatione.

323. Potest lex in communi totaliter vel partialiter revocari sola etiam voluntate superioris, quæ pura revocatio per se et essentialiter non requirit promulgationem; ut tamen convenienti modo fiat, publice proponenda est (Suarez, *de Legg.*, l. 6, c. 27, nn. 17 et 18); ideoque, ait idem Suarez, numquam præsumendum est principem voluisse antea vel aliter (quam publice et communiter quoad omnes) legem revocare, nisi evidentissime constet.

In casu igitur concludi nequit obligationem esse probabiliter extinctam, nisi tales sint rationes credendi revocationem factam, ut in sensu composito cum prima generali præsumptione pro lege de cujus revocatione dubitatur, et hac altera pro non revocatione, quia præsumitur publicata, vere maneat probabile legem esse revocatam : quod fieri nequit nisi probabilitas illa sit potius late dicta certitudo, quia passim publice creditur lex revocata, aut factum revocationis nititur testimonio omni exceptione majori.

Dubium Secundum.

Dubium 2um, ubi agitur de abrogatione aut derogatione per legem aut consuetudinem, est triplex.

324. Si agatur de abrogatione aut derogatione per legem posteriorem, aut per consuetudinem vel desuetudinem, dubium est multiplex. Potest enim dubitari I. de facto : an lata sit lex abrogans aut derogans, an existat talis consuetudo. II. An lex illa posterior vigorem habeat, consuetudo sit ex omni parte legitima. III. An lex vel consuetudo vere existentes et vigorem habentes, sint abrogatoriæ vel derogatoriæ priori legi.

I. An sit de facto :
a) lex abrogans aut derogans.

325. I. *a)* de lege agendo, notandum ex Suarez : « ad revocationem quæ ex obligatione contraria sequitur, necessariam esse promulgationem, quod procedit, sive illa obligatio sit ad actum repugnantem priori legi, sive sit præcise ad non utendum priori lege seu ad illam non servandam » (1). Atvero lex probabiliter non lata, etiamsi probabilius sit fuisse latam, non est sufficienter promulgata; adeoque nec vim habet contra priorem, quæ proinde est servanda. Licet itaque *considerata tantum probabilitate facti : latam esse legem abrogantem*, probabile sit obligationem prioris legis esse extinctam; *omnibus tamen consideratis et absolute* illud nequaquam est probabile, quia lex abrogans probabilis tantum æquivalet nulli.

b) consuetudo abrogans aut derogans.

b) Si de existentia probabili consuetudinis abrogatoriæ vel derogatoriæ agatur, aliter dicendum est; quia non eodem modo sicut lex probabiliter tantum lata, æquivalet legi non latæ, ita consuetudo probabiliter existens æquivalet non existenti. Ratio discriminis facile intelligitur : in priori enim casu, deficit aliquid ex parte ipsius legis; nempe defectus promulgationis quæ est de essentia legis infertur ex eo quod cognosci non possit certo legem esse latam; in altero casu, licet non debeat servari consuetudo probabilis tantum, id non inde repetitur quod consuetudo non sit, sed ex eo quod non possit esse obligatio subjectiva defectu scientiæ, quidquid sit de objectiva vi consuetudinis, adsitne necne. Hoc itaque saltem efficit consuetudo probabilis ut obligationem objectivam legis prioris faciat incertam. Unde merito S. Alphonsus : « Notandum autem circa consuetudinem, id quod dicit Viva, art. 2, n. 8, scilicet, quod ad excusandum sufficit probabilis consuetudo : sufficit enim, ut dicunt Salm. *de Legg.*, c. 6, p. 3, § 2, n. 18, Salas, Gran. etc. dictum unius Doctoris eximii, etiam moderni, qui consuetudinem afferat. Bene autem advertit Mazz., de 3 præc., c. 2, quod in dubio de consuetudine possidet præceptum,

Ratio discriminis hac in re inter legem et consuetudinem.

(1) *De Legg.*, l. 6, c. 27, n. 16.

unde petenda est dispensatio, secus si probabile sit adesse consuetudinem » (1).

326. II. *a)* Si lex certo abrogans aut derogans, et ex parte sua valorem habens, probabiliter tamen te hic et nunc subjective non obliget, etsi servare licite possis per se, etiam fundabit probabilitatem, quoad te, extinctæ obligationis prioris legis cui derogat.

II. An a) legis abrogantis vel derogantis obligatio in subjectivam transeat.

b) Idem absolute dicendum de consuetudine probabiliter legitima, ratio eadem est, quam de consuetudine sub I, *b)* dedimus, hic autem utrique casui de lege et consuetudine applicatur, ut reflectenti facile innotescet.

b) an consuetudo sit legitima.

Quandonam autem eæ conditiones de lege verificentur, quas hic sub *a)* ponimus, id deduci potest ex solutione aliorum dubiorum præsertim circa causas eximentes.

c) Si dubium sit utrum lex certo lata et abrogatoria vel derogatoria, ex parte sua adhuc valorem habeat, hoc dubium prius est resolvendum ex dictis in § I; quod si deprehendatur non habere valorem, nihil efficiet etiam quoad abrogationem aut derogationem, ut patet.

c) an lex ulla adhuc vigorem habeat.

327. III. Si tandem lex aut consuetudo probabiliter tantum sint abrogatoriæ aut derogatoriæ legi priori, attentis regulis interpretationis et perpensis omnibus quæ perpendenda sunt; tunc nondum potes extemplo concludere obligationem prioris legis esse probabiliter extinctam, sed applicanda adhuc manet regula interpretandi utrique simul consideratæ : correctionem nempe jurium esse vitandam. Potest autem ubi probabiliter opponuntur illæ leges, sed etiam probabiliter non sunt invicem oppositæ, posterior observari eo modo quo priori non opponitur.

III. Si lex aut consuetudo probabiliter tantum sint abrogatoriæ aut derogatoriæ.

Dubium Tertium.

328. Sed quid dicendum in casu probabilis cessationis finis legis aut præcepti? Dicendum est, sive de cessatione totali sive partiali agatur, sive contrarie sive contradictorie

Dubium 3um. De probabili cessatione finis legis.

(1) Lib. 4, n. 290 in fine.

tantum, numquam legem ex toto aut ex parte extingui, aut pro tempore suspendi, nisi constet finem adæquatum legis, aut illius partis quæ separari possit quin ita lex evadat inutilis, definitive aut pro tempore cessasse. Imo regulariter in praxi exspectanda est declaratio superioris, præsertim si de cessatione contradictoria agatur, quia vix intelligitur aliunde ea cognosci posse; quoties tamen absque superioris decreto publice innotescit cessatio finis, sufficit ut lex dicatur cessasse. Unde a probabilitate cessationis finis legis non concluditur probabilitas obligationis extinctæ; ratio deducitur a fortiori ex solutione dubiorum de legis materia, § 1, art. 3.

Dubium Quartum.

Dubium 4°. De probabili morte præcipientis.

329. Tandem, probabilitati mortis superioris, ex qua deducatur præcepti proprie dicti probabilem cessationem, vix intelligitur esse locus. Cæterum, si in peculiaribus adjunctis, res non facile innotescat, ut de superiore solam dominitivam potestatem habente facilius contingere posset, ad moralem diligentiam spectat exspectare et obedire, donec rationes excrescant ad efficiendam moralem certitudinem.

II.

De obligatione extinguenda. 2° Particulariter.

De obligatione particulariter extinguenda seu de causis proprie eximentibus.

Dubium Primum.

Dubium 1um. De privilegio probabili.

330. De privilegio probabili. Si, inspecta natura privilegii, adhibitisque regulis interpretationis, non vero consulto, quia fieri nequit aut periculum est in mora, ipso superiore, vere probabile sit privilegium contra jus, quid dicendum? Imprimis si sit privilegium contra jus tertii, tunc, etiamsi vi præcise privilegii probabile sit te non teneri lege sed

posse uti privilegio, omnibus tamen inspectis et signate inspecto jure tertii, non est practice probabile te non teneri lege illa in favorem tertii. Hoc vero seposito, idem proportione servata dicendum est eodemque modo distinguendum ac supra ubi de legis derogatione diximus. Si nempe de privilegio agatur absque lege concesso, tales debent esse rationes ad illud adstruendum ut probabiliter subsistat, non obstante præsumptione quæ per se stat pro lege contra privilegium et exceptionem. Si agatur de privilegio per legem concesso aut ex consuetudine orto, triplex iterum fiat hypothesis, et accipiantur solutiones ut supra I, dub. 2.

Dixi : proportione servata, quia hic non agitur de tollenda lege totaliter vel partialiter, sed de exemptione ab ejusdem obligatione.

Dubium Secundum.

Dubium 2^m. De Epikeia probabili.

331. De cessatione legis in particulari per epikeiam. Vide Suarez, *de Legg.*, l. 6, cc. 6-8; Bonacin. *de Lege*, disp. 1, q. 1, p. ult., § 2, n. 10; Vasquez, in 1^m 2^æ, disp. 176, cc. 1 et 3; S. Alph., l. 1, n. 201 et apud ipsos citatos. Sedulo autem observandum est, quod supra insinuavimus, diversa nempe significatione vocem epikeiæ apud auctores occurrere, ne confusio oriatur et male interpretemur eorum dicta. Epikeia autem proprie dicta de qua hic agimus, est explicatio quædam legis et mentis legislatoris ex æquo et bono, qua judicatur noluisse legislatorem in casu obligare sua lege, si casum cum determinatis adjunctis prævidisset, quia non esset justum et rationabile, aut saltem nimis durum. Inde jam videmus non esse locum epikeiæ, nisi finis legis cesset in particulari contrarie, quia nempe lex redditur in casu injusta in se vel saltem quoad formam seu damnosa vel nimis dura.

Communiter admittitur locum non esse epikeiæ in lege irritante ipso facto, quod ex natura hujus legis derivatur.

332. Quæstio itaque præsens ad hoc reducitur :

Si, deficiente opportunitate recurrendi ad superiorem, omnibus inspectis, probabile sit obligationem alicujus legis aut præcepti qua jubentis vel prohibentis, in aliquo casu esse injustam respectu alicujus, aut saltem nimis duram, adeoque probabiliter non possit, vel probabiliter saltem non velit superior obligare, an liceat subdito non obedire ?

Respondemus : non teneri subditum obedire. « Ratio est, quia judicium probabile in rebus moralibus sufficit ad prudenter operandum, præsertim ubi regula certa applicari non potest, ut ex materia de conscientia suppono. Item quia alius modus operandi est ultra humanam conditionem, et prudentiam, cum omnis fere humana cognitio conjecturalis sit, et præsertim in rebus agendis. Item quia imponeretur gravissimum onus hominibus, si numquam liceret eis uti epijkia ex judicio probabili, quando non patet aditus ad superiorem. Quis enim auderet umquam excusari a lege positiva propter necessitatem occurrentem? Cum nemo sit tam certus de sufficientia causæ, quin dubitet, vel formidet. Item in his casibus non possent simplices sequi consilium hominis docti, et pii, nec ipse posset tale consilium dare, quia numquam fere ducitur, nisi judicio probabili. Constat autem contrarium esse in usu totius Ecclesiæ, et approbari ab omnibus Doctoribus » (1).

Diximus : deficiente opportunitate recurrendi ad superiorem ; interrogandus enim est superior, si conveniri possit : « in hoc etiam non est recedendum a communi sententia, quæ videtur usu omnium piorum et prudentum confirmata.... quia inordinatum est uti conjecturis, et propter illas solas relinquere verba legis, ubi potest certo constare de mente, et voluntate legislatoris. Et ideo in omni epijkia solum probabili debet hic ordo servari. Et quamvis ordinarie magis necessarius sit in epijkia, quæ est de sola voluntate legislatoris, quam in illa, quæ circa potestatem versatur, nihilominus in utraque servandus est, juxta materiæ necessitatem,

(1) Suarez, l. c. *de Legg.*, c. 8, n. 6.

vel probabilitatis gradum, quia, ut dixi (1), semper ibi miscetur conjectura de voluntate legislatoris » (2).

Hic nulla contradictio cum dictis in dubio de extensione potestatis superioris.

333. Ex hoc quod ibi miscetur semper conjectura de voluntate legislatoris, intelligitur non esse contradictionem inter hoc responsum nostrum et illud quod dedimus in dubio de extensione potestatis legislatoris et liceitate rei præceptæ. Ibi enim non potest probabiliter inferri noluisse legislatorem obligare, si revera præceperit circa materiam, licet probabiliter tantum licitam aut contentam intra limites suæ potestatis. Intelligitur pariter discrimen inter epikeiam et cessationem legis in communi, et perspicitur quomodo efficacior sit conjectura de mente legislatoris quoad casum particularem alicujus subditi, quam quoad cessationem in communi. Cf. Vasquez, l. c., c. 3.

Merito extendit S. Alphonsus (3) cum Suarez (4) doctrinam nostram ad casum ubi non de damno emergente sed de lucro notabili cessante agitur, quia et hoc potest sufficere ; inspicienda tamen est natura legis (et ita ab observatione festi excusat S. Alphonsus) « et in universum loquendo, omnia sunt consideranda, ut prudens judicium in contingenti casu feratur » (5).

Huc etiam videtur referendum, quod in dubio an egeas dispensatione, possis uti tua libertate (6), de solo utique obligationis effectu loquendo; quia fieri nequit moralem certitudinem de necessitate dispensationis deficere, nisi saltem probabili epikeia possis uti, aut probabilis sit causa excusans ; potest enim referri etiam ad dubium de causa excusante, infra c. 3, n. 349.

(1) Vide eumdem modo cit. numerum 6.
(2) Suarez, ibid., n. 9.
(3) L. 1, n. 201; lib. 4, n. 301 et n. 332.
(4) L. c., c. 7, n. 14.
(5) Suarez, ibidem.
(6) S. Alph., lib. 1, n. 192.

Dubium Tertium.

Dubium 3^m. De probabili seu præsumpta licentia.

334. Quando lex aut præceptum permittit actum ex concessa licentia superioris, sit autem probabile te habere licentiam, quid dicendum est? Aliis verbis : an et quando ex præsumpta seu probabili licentia licet agere?

Vide Sanchez, *de Matrim.*, disp. 35, n. 17; *in Decal.*, l. 7, c. 19, nn. 2-44; Castro, t. 3, tr. 16, disp. 3, p. 23, n. 8; Suarez, tom. 3 *de Relig.*, l. 8, c. 11, n. 11; Bonac., *de Restit.*, disp. 2, q. 10, p. 3, n. 4; Lugo, *de Just.*, disp. 3, n. 134.

Respondetur : si vere, omnibus inspectis, probabilis sit licentia, ea uti te posse. Eadem ratio valet ac de epikeia circa legislatoris voluntatem. Unde statim intelligitur ei locum non esse, si superior contradicat probabili præsumptioni, ut in quibusdam materiis apud religiosos strictissimæ observantiæ contingit. Difficultas proinde in eo potius est quando vere probabilis sit licentia.

Quando vere probabilis sit licentia.

Ad hoc autem prærequiritur omnino ut superior commode adiri nequeat, nec subditus actum differre possit. Hoc posito : erit illa probabilis licentia, qua uti possis, si adjungi soleat, pro aliquo casu, licentiæ datæ pro alio, hæc autem expressa habeatur, ita ut quamvis stricte separari possint, illa tamen in hac posteriori censeatur implicita; item, si adsint circumstantiæ in quibus superior solet semper concedere, nec umquam negasse cognoscitur : quod multum pendet ab adjunctis personarum, indolis, meritorum, etc. præsertim si scitur superiorem præsumpta licentia iisdem in adjunctis utentes non improbasse. Non itaque sufficit generatim dicere toties adesse præsumptam illam licentiam qua uti possis, quoties probabiliter imo moraliter certo obtineres eam si peteres.

Quid de licentia requisita ad actus valorem.

Notandum est, si agatur de licentia requisita ad valorem actus ponendi, saltem in re gravi, non licere licentiam præsumere, nisi instante tali necessitate agendi qua posita censeatur superior supplere jurisdictionem necessariam ad

valide ponendum actum. Vide Sanchez, l. c., n. 14; Suarez, 3 tom. in 3 p., q. 82, a. 3, disp. 72, sect. 3, coll. 2, vers. *Hinc sequitur.*

Dubium Quartum.

Dubium 4um. De probabili dispensatione.

335. De dispensatione probabili. Vide Sanchez, *in Decal.*, l. 4, c. 44, coll. *de Matrim.*, l. 8 passim; Castro, t. 3, tr. 15, disp. 2, p. 9, n. 4; Dianam, p. 8, tr. 3, R. 62.

Non agitur de dispensatione requisita ad valorem.

Ante omnia distinguendum est inter dispensationem in lege irritante seu requisitam ad valorem, et aliam requisitam ad solam actus liceitatem. De hac solum agimus nunc.

Dubium est quadruplex.

Potest porro probabiliter dubitari vel de dispensationis existentia et valore, vel de ejusdem sensu et extensione, vel de ejusdem cessatione, quibus adjungimus quæstionem an præsumi possit, ut de licentia dictum est. Inde dubium quadruplex.

I. De dispensationis valore et existentia. 1. causa dubii.

336. I. De dispensationis valore et existentia. Dubium oriri potest pluribus ex causis : « Prima est, quod dubium sit an superior ille dispensaturus sit legitimus. Et tunc... sic distinguendum est. Si superior ille sit in possessione superioritatis, dubitetur autem an sit legitimus, non potest ea spoliari, donec constet non sola opinione, sed scientia moraliter certa defectus legitimæ superioritatis... Et ideo tutus erit is cum quo dispensatur... Si vero nullam nactus sit possessionem, non poterit... Quare si dubitetur an is cum quo est dispensandum sit subditus ratione domicilii aut quasi-domicilii acquisiti in ea diœcesi, necessarii ad subjectionem requisitam ad potestatem dispensandi cum eo, nequibit prælatus cum eo dispensare » (1).

2. causa dubii.

Secunda causa est, quod dubitetur an potestas dispensantis eo se extendat. Tunc autem si sit dubium juris ob diversas opiniones, potest dispensare superior adeoque tutus est cum quo dispensatur; et idem valet de potestate delegata, quia potestas dispensandi est favorabilis et late

(1) Sanchez, l. c. *in Decal.*, nn. 1 sqq.

interpretanda. Si sit dubium facti, ut si certus de voto (1), dubites autem an tale feceris quod sit reservatum, aut simul juris an votum quod certo fecisti sit reservatum, idem est dicendum.

3. causa dubii. « Tertia causa hujus dubii potest oriri, eo quod dubitatur an sit legitima dispensandi causa. Et tunc si prælatus proposita ei vere causa a subdito dispenset, tutus erit subditus utendo dispensatione... quia in hoc dubio standum est superioris judicio. Ut optime tradunt D. Thomas 2. 2, q. 88, a. 12, ad 2^{m}; D. Anton., 2 p., tit. 11, c. 2. § 9, notab. 3; Sylvest. v. *votum*, 4, q. 6... Suarez, t. 1 *de Relig.*, l. 2, *de dieb. festis*, c. 33, n. 3 et t. 2, *de Voto*, l. 6, c. 17, nn. 6 et 20, et t. 5 in 3 p., disp. 41, sect. 3 fine.... Idque non obscure significat Sotus, 4, dist. 21, q. 2, a. 2. coll. antepen., ubi dicens dispensationem voti a Pontifice concessam absque causa, esse irritam, subjungit, si manifestus error non interveniat, præsumi causam justam, et l. 7 *de Just.*, q. 4, a. 3 ad 2 fine, ubi ait dispensationem in voto esse irritam, quando manifeste constat nullam esse causam. Quare dum quidam DD. quos retuli l. 8 *de Matrim.*, disp. 17, n. 14 dicunt non præsumi causam in principe dispensanti in jure divino naturali, cujus obligatio est voti, intelligendi sunt in foro externo. Et dum alii citati eadem disp., n. 15 docent non credi prælato dicenti se ex justa causa dispensare, dum in lege superioris dispensat, intelliguntur etiam in foro externo. Atque hanc doctrinam credo veram, non solum quando dispensat ipse prælatus sed etiam quando alius ex ipsius commissione, aut privilegio. Quia in eo actu fungitur superioris vice » (2).

4. causa dubii. Quarta causa est ex eo quod dubitat impetrans dispensationem, an tacuerit verum aut falsum expresserit. Et tunc non præsumitur delictum, sed censetur valida dispensatio.

Aut certus est se ita deliquisse, sed dubium est, omnibus inspectis, an ea causa quam tacuit aut falso expressit, sit

(1) Hic quidem agitur de obligatione naturali, sed nihil refert dummodo ponas potestatem dispensandi in votis, quocumque modo eam explices.

(2) Sanchez, ibid., n. 6.

finalis an potius inpulsiva tantum. « Atque in hoc dubio, res est valde controversa. Multi affirmant præsumi finalem et ita corruere dispensationem, quos retuli l. 8 *de Matrim.*, disp. 21, n. 20. At ibidem cum multis aliis sustinui præsumi causam impulsivam, et sic valere dispensationem (1). Atque idem probavi ea disp. 21, n. 25. »

II. De ejusdem dispensationis sensu et extensione.

337. II. In dubio de dispensationis sensu et extensione, accipiendus est sensus strictior, quia licet potestas dispensandi sit favorabilis, ipsa tamen dispensatio est odiosa.

III. In casu probabilis cessationis dispensationis.

338. III. In probabili cessatione dispensationis, censetur durare donec de cessatione constet, ut de aliis causis eximentibus diximus.

IV. De dispensatione præsumpta.

339. IV. De dispensatione præsumpta. Primo : non confundatur cum dispensatione tacita, quæ censetur concessa per actum superioris incompossibilem cum observatione legis pro subdito, ut si jubeat superior vel concedat fieri aliquid contra legem absque eo quod expresse dispenset, vel etiam legem infringentem non corrigat sed taceat, cum facile et absque incommodo loqui possit. Secundo : itaque quæstio est an censeri possit virtualiter dispensare prælatus, quando probabiliter judicatur eum dispensaturum esse si sciret, vel gratum habiturum quando sciet. Respondent Salmant. (2) : « Negative. Sed debet esse talis præsumptio voluntatis præsentis, vel antecedentis ad actum, non subsecutæ ad illum, quia ad deobligandum a lege requiritur, quod detur voluntas superioris, quæ vere sit talis ; sicut ad obligandum per legem talis voluntas requiritur, sed voluntas futura non est, sed erit... Ita docent Tapia, l. 4, q. 19, a. 4, n. 9; Salas, d. 20, s. 2, n. 8; Sanchez l. 8 *de Matrim.*, disp. 41, nn. 11 et 15; Suarez, l. 6, c. 13, n. 20; Palaus, d. 6, p. 12, n. 6; Laymann, tr. 4, c. 22, n. 3. »

Discrimen inter dispensationem præsumptam et præsumptam licentiam.

« Et si objicias quod in licentia a lege postulata sufficit, ut superior virtualiter vel tacite eam concedere censeatur, quod prudenter judicetur concessurum eam, si casum cum

(1) Cf. etiam l. 4 *in Decal.*, c. 47, n. 19.
(2) *De Legg.* c. 5, p. 2, nn. 12-14.

circumstantiis occurrentem cognosceret, vel postea quam sciat ratum et gratum habiturum, quod ex tali præsumptione est factum... Respondetur concesso antecedenti, negando consequentiam : nam cum simplex licentia, ut jam diximus, non sit vulneratio legis sed impletio, quia lex non prohibet actum absolute, sed jubet quod si fiat, cum licentia fiat, non est odiosa sed potius favorabilis ; unde non est restringenda sed late interpretanda, extendendaque ad licentiam præsumptam sive de præsenti sive de futuro, sive absolutam vel conditionatam. At dispensatio exorbitat a lege et est juris vulneratio : et sic est stricte interpretanda, intelligendaque solum de voluntate, quæ est in superiore, non de illa quæ est aut erit. »

Dubium Quintum.

Dubium 5um. De exeunte e territorio.

340. Si quis probabiliter non est in territorio, an lege tenetur? Si agatur de mero dubio facti, vix intelligitur illud subsistere posse, inquisitione facta. Cæterum discedens e territorio legibus tenetur donec moraliter certus sit se extra illud versari. Si agatur de dubio juris, ut supra n. 311, ibidem res soluta fuit.

Caput Secundum.

DUBIA CIRCA OBLIGATIONEM LEGIS NATURÆ.

341. Post ea quæ fusius disseruimus supra de legis naturæ promulgatione et constitutione illiusque a lege positiva discrimine, jam brevissime præsens caput absolvere poterimus. Statim enim intelligitur 1° quod spectat obligationem objectivam ex lege naturæ inducendam, requiri cognitionem speculativam certam illius obligationis per rationem humanam in præsenti ordine et statu, adeoque rectæ rationi

1° Quod spectat obligationem objectivam ex lege naturæ inducendam.

cujusque, diligentia adhibita, saltem possibilem, quia hæc est promulgatio quæ divinam voluntatem, ordinem naturæ præscribentem, in formali ratione imperii constituit. Et ita promulgantur etiam dictamina quæ reflexa diximus (1), quæque tum obligant cum ratio individua practica ex errore facti aut etiam juris putat se lege obstringi cum ita non est, vel invincibiliter ignorat et dubitat; non enim ratio illa errans circa jus aut dubitans est ratio promulgans, sed qua non errans dictat esse faciendum aut omittendum quod etiam per errorem putatur fieri debere aut omitti, aut certo ostendit quomodo dubium sit solvendum.

342. 2° Quod spectat eamdem obligationem extinguendam, de ea nequit fieri sermo, si proprie loquamur, cum lex naturæ sit necessaria et immutabilis (2). Si objicias dispensationem in voto et juramento, quæ habent obligationem naturalem, respondet Suarez (3) : « cum aufertur votum, non fieri dispensationem in lege naturali, sed auferri materiam ejus eodemque modo et non alio potest Deus auferre obligationem voti : nec enim facere potest ut votum integrum maneat, et quod lex naturalis non obliget ad implendum illud; potest ergo Deus auferre votum et ita subtrahere obligationem legis naturalis absque dispensatione. Imo hic addo (quamvis forte ad modum loquendi pertineat) quod licet Pontifex auferendo votum, dicatur proprie dispensare in illo, si tamen Deus per se illud remittat, non tam posse dici dispensare in illo quam irritare illud; et ratio est quia Deus remittit debitum suum tamquam proprius dominus illius, et ideo donat vel irritat non vero dispensat, sicut quando unus homo remittit alteri promissionem sibi factam, non dispensat sed irritat illam. » Quomodo autem possit subtrahi materia, non vero mutari lex, « probatur optime exemplis de voto, juramento, et similibus et [hæc pars] explicata est late in tract. *de Voto*, lib. 6, cap. 9, et infra respondendo ad argumenta clarior fiet. Ratio autem non

2° Quod spectat eamdem obligationem extinguendam.

Quomodo fiat dispensatio in lege naturæ.

Quomodo non mutetur lex naturæ sed subtrahi eidem possit materia.

(1) Vid. supra n. 77, nn. 89 sqq. et locos ibidem indicatos.
(2) Vide Suarez, *de Legg.*, l. 2, c. 13.
(3) *De Legg.*, l. 2, c. 15, n. 27.

est alia, nisi quia materiam illam mutari, vel variari, non est contra legem naturalem, quia pendet a voluntatis mutatione. Et hac etiam ratione hoc non excedit potestatem superioris humani, vel quatenus ab illo pendet voluntas subditi, vel quatenus est Vicarius Dei. Facta autem tali mutatione, non solum non repugnat auferri obligationem legis naturalis, sed etiam ipsa per se cessat, ac desinit obligare. Imo hoc modo privatus homo potest interdum auferre obligationem naturalem ortam ex promissione, verbi gratia, remittendo illam, vel ortam ex mutuo perficiendo donationem. Ad hunc ergo modum intelligenda est hæc relaxatio juris naturalis, quæ in hoc genere dispensationis admiscetur, quæ revera in rigore non est dispensatio juris naturalis, sed vocatur dispensatio voti, aut juramenti, quia fit per remissionem quamdam ex potestate superiori, et jurisdictionis; tamen in rigore potius est dispensatio facti quam juris... » (1).

Quomodo dicant Salmant. locum esse epikeiæ in lege naturæ.

Posset etiam objici locum esse epikeiæ in lege naturæ quæ non sit negativa prohibens intrinsece malum, ut docent Salmanticenses (2) cum aliis, et afferunt exempla : « sicut de lege naturali est non occidere, quem possum nihilominus occidere, si injuste me occidere tentaverit » etc. Sed ut patet, modus ille loquendi non est valde aptus, quoad rem ipsam vero, sive dicas tunc fieri epikeiam, sive rectius dicas legem naturæ non prohibere homicidium sed injustam occisionem, in idem recidit.

Duplex tantum dubium circa legem naturæ. 1m Dubium.

343. Duplici itaque modo tantum sermo esse potest de dubio circa legem naturæ :

1). De dubio juris publico, in remotissimis scilicet conclusionibus, ut in præceptis naturæ positivis ubi agitur de tempore ea adimplendi v. gr. orationis, charitatis, aut in determinanda gravi quantitate, v. gr. furti. Adverte tamen sæpe hoc dubium misceri cum dubiis facti, et reduci potius ad applicationem legis naturæ, v. gr. an in casu censeri debeam causa efficax damni, adeoque obligatus ad restituendum, de qua seq. cap., 3°. De hoc autem dubio nihil

(1) Suarez, *de Legg.* l. 2, c. 14, n. 11.
(2) *De Lege*, c. 4, p. 3, § 4, n. 43.

est superius dictis addendum, cum formalis obligatio objectiva deficiat, si lex non est sufficienter promulgata.

2). De dubio facti, utrum scilicet, posita lege clara, adsint in casu ea adjuncta, quibus positis, lex applicetur; vel utrum adsit factum liberum inducens obligationem naturalem, puta votum, contractus; vel an sit subtracta materia per dispensationem in voto, juramento; vel utrum lex sit impleta; obligatio contractus per solutionem, remissionem extincta. Tunc autem dubium directe et immediate non est de obligatione objectiva secundum se et absolute considerata, sed an obligatio objectiva transeat in subjectivam, qua de re nunc jam agendum est. *2us Dubium.*

Caput Tertium.

DE DUBIIS CIRCA LEGIS APPLICATIONEM, SEU TRANSITUM OBLIGATIONIS OBJECTIVÆ IN SUBJECTIVAM.

344. Posita itaque obligatione objectiva inducta et non extincta, potest adhuc dubium oriri de ejusdem transitu in subjectivam seu passivam et in actu secundo. *Monitum servandum e supra dictis.*

Ante omnia autem ne obliviscamur hic sermonem non esse nisi in ordine ad illum solum effectum legis obligandi in conscientia et inducendi, si scienter infringatur, culpam formalem : aliter enim, ut vidimus, loquendum est de effectu irritandi, inhabilitandi, de omni effectu, uno verbo, qui independenter a scientia subditi induci potest.

345. 1° In lege positiva, ut ex precedentibus patet : potest aliquando fieri ut, licet a parte legis nihil deficiat, tamen non constet subditis an hic sensus qui casum determinatum complectitur sit a legislatore intentus et promulgatus, an vero alius restrictior, qui casum non comprehendat, quique potest eisdem verbis solus subesse. In eo casu, etiamsi sensus latior sit vere promulgatus, ut v. gr. postea declarat *Dubium circa transitum obligationis objectivæ in subjectivam. 1° in lege positiva.*

simplici interpretatione authentica superior, certum tamen est, quod ante hujusmodi declarationem obligatio illa objectiva latior non transeat in subjectivam, quia deficit scientia applicans illam subjecto. In præcepto similiter, sensus restrictior, dummodo verba superioris verificentur, assumi potest, donec aliter de voluntate superioris constet.

2° In lege naturæ non est hujus dubio locus.

346. 2° In lege naturæ huic dubio non est locus, cum ea non ab extrinseco, verbis et formulis quæ ambiguitati sunt obnoxia, sed dictamine rationis proponatur, et ejusdem rationis dictamine practico applicetur casibus occurrentibus.

3° Dubium utrique legi commune, cum aliquo discrimine.

347. At præterea 3° posita obligatione objectiva clara, potest esse dubium ex parte circumstantiarum facti et casus particularis, utrum videlicet adsint illa adjuncta quibus positis lex clara applicetur. Et hoc commune est legi naturali et positivæ cum aliquo discrimine. Ita v. gr. lex manifesta naturæ obligat ad restituendum, qui efficaciter cooperatur alicui in damnificatione injusta proximi, at quæritur an ista lex applicetur in casu in quo executor etiam sine tuo consilio, mandato, consensu, etc., æque eodemque modo damnum esset illaturus, et quamvis nulla similis causa esset superventura (Lessius, l. 2 *de Just.*, c. 13, dubit. 2, nn. 4 sqq.); unde hic dubium est an fueris causa efficax damni injusti.

Quodnam sit illud discrimen.

348. Discrimen autem inter utramque legem, naturalem et positivam, hoc est : quod in lege positiva, quæ omni modo independenter a ratione agentis consistit in formali ratione legis, omnino subsistere possit obligatio objectiva licet non applicetur, et adesse peccatum materiale absque formali peccato, quia proprie excusatur agens, etiam secluso privato errore et inadvertentia, i. e. etiamsi relate ad omnes subditos in illis adjunctis recte judicantes idem dici possit. In lege vero naturæ, licet obligatio objectiva absolute considerata et speculative, abstrahendo nimirum a modo quo ipsius agentis intellectui subest, concipiatur a parte rei consistere et ita locum esse peccato materiali, melius tamen et verius dicitur non esse obligationem objectivam quia non proponitur a ratione, nec peccatum mate-

riale quia lex illa non urget, posita diversæ legis apprehensione ab intellectu, sed alia seu potius aliud dictamen, mutatis circumstantiis, i. e. posito tali mentis agentis statu; ut sæpius et fuse explicavimus. Improprie tamen dicitur fieri peccatum materiale, quia agitur contra illud quod lex esset si directe et certo eam agens apprehenderet. Hoc inde fit, quia lex naturæ non formula plus minusve generali sicut positiva enuntiatur, sed flectitur ad omnes casus et adjuncta, eadem ratione eam, diversis tamen modis, promulgante et applicante.

Potest idem hoc dubium diversis ex causis oriri.

349. Porro diversis ex causis impeditur transitus ille obligationis objectivæ in subjectivam, et, de lege naturæ loquendo, deficit sensu exposito, formaliter ut de tali casu agitur, obligatio etiam objectiva.

Potest enim 1° esse verum aliquod impedimentum, seu causa excusans; 2° seclusa causa excusante, potest esse dubium facti inducentis obligationem; 3° potest dubitari an factum illud aut conditio inducens obligationem sit ablatum, vel lex sit impleta.

De sequentibus dubiis, videri potest Suarez, *de Voto*, in t. 2 *de Relig.*, l. 4; Bonacin., tom. 2, disp. 4, q. 2; Salm. tr. 17, c. 1, p. 6, § 2, *de voto ac juramento dubio* et *de Lege*, c. 2, p. 6; et citati per decursum.

1. causa. In dubio de causa excusante.

Ad 1^m^. Causæ excusantes enumerantur ex parte intellectus et voluntatis, ignorantia, coactio, metus, et insuper impotentia et grave incommodum, quod ad moralem impotentiam fere reducitur. De hac sola, ut patet, hic sermo habetur; in lege autem positiva dicendum est ut de epikeia. Quo enim modo casus aliquis ita onerosus apparet ut censeatur ab initio lege non comprehensus, ita casu manente sub legis imperio difficultas seu impotentia subditi probabilis efficere poterit ne obligatio objectiva in subjectivam transeat et subditum excusare, manente legis imperio (1). In casu incommodi seu impotentiæ subditis communis, omnino debet supplicatio institui ad prælatum ejusve superiorem, a fortiori si tantum probabile immineat incommodum.

(1) Vide S. Alph., l. 5, n. 154, et ibi citatos.

In lege naturæ, non est his locus : quia numquam facere licet, ob quamcumque rationem, quod est intrinsece malum, nec omitti præceptum naturale de quo constat; si enim sit talis difficultas quæ in lege positiva excusare diceretur, tunc revera deficiet ipsa obligatio objectiva legis naturæ sed dubium cadet in ipsam legis applicationem non in excusationem.

2. causa. De dubio facti inducentis obligationem.

350. Ad 2m. Dubium esse potest vel *a)* de ipsa existentia seu positione actus seu conditionis inducentis obligationem; vel *b)* non tam de positione facti quam de ejus qualitate et valore requisitis ad fundandam obligationem.

a) *In dubio de existentia illius facti.*

Quoad *a)* nulla difficultas : cum non possit esse obligatio nisi de qua moraliter constet, nec possit constare de obligatione nisi constet de facto eam inducente. Ita de voto et juramento (idem valet de reliquis) tenet Sanchez, qui plures pro se adducit auctores (1), deinde addit : « Et quamvis l. 2 *de Matrim.*, disp. 41, n. 34 dixerim eum, qui non omnino dubitat, sed magis in eam partem inclinat, ut votum emiserit, et sic suspicionem voti habet, teneri voto, non integre sed ad partem pro ratione majoris hujus propensionis, quia illa major judicii determinatio etiam cum formidine compensat sufficienter excessum possessionis, quem alter habet. Atque innixus fui simili doctrinæ in materia justitiæ quam ibi n. 19 tenui. At sicut in hoc cap. n. 9 dixi id esse probabile in materia justitiæ, at probabilius esse ad nil teneri : ita etiam in hoc casu sentio hunc ad nullam voti partem teneri ». Et in fine numeri addit : « quippe si hic opinetur se vovisse cum formidine partis oppositæ, quam opinio in se claudit, ita tamen ut nullam oppositæ partis probabilem opinionem concipiat, tenebitur utique integre votum implere (2), si vero ita opinetur hanc partem, ut se quoque non vovisse probabiliter opinetur, quamvis hoc sit illi minus probabile, ad nullam voti partem tenebitur. Sicut utrumque in materia justitiæ probavi n. 9 ».

Varia dubia particularia : 1m.

(1) Sanchez, *in Decal.*, l. 1, c. 10, n. 36. Cf. l. 4, c. 1, n. 16.

(2) Atvero tunc est certitudo moralis, late dicta, ut patet, quod sæpe diximus contingere in quæstione facti.

Idem dicendum si dubium sit de impleta conditione in voto conditionali. Vide Sanchez, eodem l. 4, c. 16, n. 3, ubi proponit etiam n. 32 dubia circa specialia vota, religionis; et cap. 23, n. 29, ubi et reliqua dubia circa votum conditionale reperies nn. 19, 24, 27, 54. 2°.

Similiter in dubio an plus vel minus voveris, teneris ad minus tantum. Apud eumdem Sanchez, l. 4, c. 11, n. 5 ubi agit de intentione ampliore concomitante, in dubio an voto comprehendatur; c. 13, n. 8 et n. 17; c. 14, n. 3 ubi de statuto simul tempore implendi; c. 15, n. 46; c. 16, nn. 86 et 114. 3°.

b) *In dubio de qualitate facti, factus valore.*

Quoad *b)* : si actus fuerit positus sed dubitatur an valide, an votum v. g. (idem fere de juramento, de contractu dicas) fuerit factum cum debitis conditionibus deliberationis, propositi et veræ promissionis, materiæ aptæ : hujusmodi dubia longa disputatione solvit eodem cit. lib. Sanchez, quam, brevitatis causa et quia necesse non videtur eadem repetere, ita summarie referimus ut : in casu probabilitatis de non valore actus standum sit pro libertate, quia tunc nullo modo constat de obligatione inducta; contra in casu dubii non pertingentis ad probabilitatem *generatim* standum sit pro valore actus et obligatione. Dico generatim : quia in singulis hypothesibus attendendum est præsumptionibus quæ occurrunt; potest autem præsumptio esse contraria libertati : ita si dubitetur de sufficienti deliberatione præcise ob teneram ætatem, præsumptio erit pro valore si factum sit votum post septennium, secus si ante illud tempus. Quomodo autem, occurrente dubio, secundum illas præsumptiones sit judicandum in foro interno sicut in foro externo, nisi hoc præsumptione ducatur quæ in foro interno cognoscitur falsa, ipse Sanchez optime proponit l. 1 *in Decal.*, c. 10, n. 13 quem locum supra n. 211 exscripsimus (1).

(1) Utile tamen duximus subjicere quibus in locis inveniat lector solutiones particulares apud Sanchez, lib. 4 sæpius citato : 1° dubiorum versantium circa deliberationem requisitam : cap. 1, nn. 12-15, coll. cap. 5, nn. 23 fine et 24; et de causis adversantibus deliberationi, errore : c. 2, nn. 13 et 16 fine, et metu : c. 3, n. 27; 2° circa veram promissionem : c. 1,

3. causa. In dubio a) *de ablato facto inducente obligationem, aut* b) *de lege impleta.*

351. Ad 3m. Si tandem dubium sit utrum factum seu conditio inducens obligationem sit ablata, aut lex impleta.

a) *Ad primum. Varia dubia pro variis causis quæ factum illud tollere potuerunt.*

a) Ad priorem partem, plura iterum distinguuntur dubia pro diversis causis quæ factum illud tollere potuerint, ita potest versari dubium circa dispensationem, pro qua ad superius disputata remittimus nn. 335, sqq.; et eodem modo loquendum de potestate irritandi et irratione. Cf. Sanchez, lib. cit., cc. 32 et 44, ubi et de commutatione de qua plura dubia solvit. Notandum autem pro commutatione privata auctoritate facta, evidentem esse oportere excessum (Sanchez, ibid. c. 49, n. 7), aut saltem, si bonum sit certo æquale, oportere ut probabiliter sit melius (ibid. n. 14), non eodem modo de commutatione potestativa dicendum est (c. 50, n. 7).

1m. 2m. 3m.

4m.

Potest esse dubium de mutatione materiæ et cessatione finis, ita ut dubium sit cessasse votum, pro quo dubio remittimus ad supra dicta de epikeia, servato discrimine utriusque materiæ et naturæ diversæ obligationis, et ad Sanchez, c. 2, nn. 34 et 52.

5m.

Occurrere item possunt plura dubia facti. Ita si dubium sit de transacto tempore voti, censendum est non esse transactum; si dubium an tempus fuerit præfixum ad finiendam obligationem, censetur quod non. Secus si sit probabile (Sanchez, c. 14, n. 38). Generatim itaque : in casu probabilitatis solutio est in favorem libertatis. In casu dubii petenda est solutio ex præsumptionibus, ut supra; sæpius autem pro obligatione permanente ex illis præsumptionibus erit judicandum.

Solutio generalis.

b) *In dubio de obligatione impleta.*

b) Ad alteram partem, eadem solutio generalis valet : si probabiliter lex sit impleta, voto satisfactum, non amplius urget obligatio. Si vero dubium sit negativum an impleveris, teneris implere. « Similiter si opinatur quis, etsi minus probabiliter, se implesse votum, non tenetur illo; secus si dubitet vel tantum se implesse suspicetur. Quia

nn. 32-36, et nn. 39 et 40 fine; 3° circa materiam aptam, c. 5, nn. 15, 19, 29 et 32; cap. 6, nn. 5, 6, 24; cap. 7, n. 21; cap. 10, nn. 14, 16, 22.

obligatio voti est certa et satisfactio dubia » (1). Ratio est, obligationem objectivam in casu, etiamsi ponatur adesse, non applicari agenti per scientiam, quia conscientia illa obligationis repugnat cum probabilitate obligationem jam non adesse. Nullatenus autem hic invocamus principium de lege dubia seu non sufficienter promulgata. Ponimus enim votum certo adesse, et si de lege positiva agatur eam esse certam et claram, sed dubium versatur circa legis applicationem : etiamsi nimirum vere a parte rei adhuc subsistat obligatio legis objectiva (licet sit probabile non existere), tamen, quia scientia illius obligationis (posita illa probabilitate) haberi nequit quæ requiritur ut ea obligatio transeat in subjectivam et passivam seu in actu secundo constringat subjectum agens, manet libertas et nulla culpa formalis committitur, sed tantum materialis casu quo probabilitas legis impletæ non sit veritas. Sed de his satis supra diximus.

Quodnam hic sit solutionis principium.

352. Finem jam universæ huic dissertationi imponimus solutione duplicis quæstionis, quæ nec minimi momenti, nec levioris difficultatis in hac materia de qua disseruimus ab omnibus habebitur, et hunc opportunum locum sibi vindicare visa est. Prior est de mente S. Alphonsi in hac altera quasi-parte systematis Probabilismi, ubi non de defectu ex parte legis seu obligationis objectivæ agitur, sed de defectu scientiæ in subjecto agente applicantis obligationem objectivam. Altera erit de applicando vel non applicando Probabilismo in hac altera sua parte seu potius principio, casui solutionis probabilis debiti ex justitia, qua in re magna est dissensio inter ipsos eidem systemati addictos auctores.

Duplex quæstio finalis magni momenti.

353. I. Si itaque de dubiis de quibus modo loquebamur circa impletionem legis, voti etc. modum solvendi S. Alphonsi investigaverimus, reperiemus duplicem seriem solutionum, quæ saltem primo intuitu contradictoriæ apparent.

I. De mente S. Alphonsi in casu probabilis impletionis legis.

Duplex series solutionum apud S. Doctorem.

(1) Sanchez, l. 4 *in Decal.*, c. 1, n. 16 in fine; cf. c. 15, n. 46 in fine. Et vide Salm., tr. 17, c. 1, p. 6, § 2, n. 145; de Lugo, *de Pœnit.*, disp. 16, n. 60; Lacroix, l. 1, n. 600; S. Alph. l. 1, 29; aliosque apud ipsos citatos.

1. series. Ita ab una parte, lib. 1, n. 99 : « Quid in dubio an legem impleveris? In dubio negativo teneris implere; secus in positivo » (1).

Et iterum lib. 5, n. 150 : « Utrum, si quis dubitat, an aliquid omiserit de officio, teneatur id recitare?... Si dubium sit mere negativum, utique tenentur, quia in dubio possessio stat pro præcepto... Si vero dubium est positivum, ita ut probabiliter judices dixisse, non teneris repetere, prout docent communissime...» Et idem repetit in *Hom. Apost.*, Append. 3, § 2, n. 69.

2. series. Ab altera vero parte, lib. 1, n. 29 ; in *Hom. Apost.*, tr. 1, n. 17, et inter *recentes retractationes opinionum*, quær. 1, expresse contra doctrinam quam potius extrinseca ductus probabilitate quam intrinseca prius fuerat secutus, ut ait l. 1, n. 29, ita docet : « Si quis probabiliter judicet se implevisse votum, horas canonicas, sive pœnitentiam, an teneatur eam satisfacere, si adhuc probabile sit, vel dubium non implevisse? Negant plures auctores... Sed oppositum est tenendum, quia possidet obligatio jam contracta, donec certe non fuerit impleta » (2).

(1) Similiter de causis eximentibus et excusantibus, idem S. Doctor possessionem obligationis negat in casu probabili, secus in dubio negativo ; lib. 4, n. 112, Quær. III, *Secunda vero sententia*, in medio : « Nec huic obstat sententia, quam secuti sumus l. 1, n. 97, scil. quod in dubio an lex recepta sit, lex bene obliget : nam hic non versamur in dubio, sed in opinione probabili, cum valde probabile sit ex auctoritate DD. ut supra, hanc legem non fuisse receptam. In dubio enim præsumptio stat pro lege, cum delictum, in non recipiendo legem justam, non præsumatur. Quando autem probabile est, quod obligatio legis numquam inceperit (vel quod lex abolita sit) tunc cessat præsumptio pro lege, et possidet libertas... » Lib. 4, n. 290 : « Notandum autem circa consuetudinem id, quod dicit Viva art. 2, n. 8, scilicet, quod ad excusandum sufficit probabilis consuetudo : sufficit enim, ut dicunt Salm... dictum unius Doctoris eximii, etiam moderni, qui consuetudinem afferat. Bene autem advertit Mazz... quod in dubio de consuetudine possidet præceptum, unde petenda est dispensatio ; secus, si probabile sit adesse consuetudinem ». Lib. 5, n. 154 : « Si... dubium... sit, an indispositio pertingat ad excusandum... tunc, cum lex recitationis [officii] possideat, et dubium sit de exemptione, utique lex est implenda. Hoc tamen currit, quando sit purum dubium ; secus si sit probabile judicium... »

(2) L. cit. recent. retractationum.

354. Verum est, si inspiciatur l. 1, n. 30; *Hom. Apost.*, l. c., in fine numeri ; l. 4, n. 700, quær. II, in fine, et *Hom. Apost.* tr. 5, n. 31, hanc generalem assertionem : obligationem non extingui per satisfactionem probabilem, aliquam limitationem admittere : quatenus per satisfactionem probabilem intelligi debet quod factum satisfactionis sit probabile et incertum; si vero intelligatur quod opus quidem, promissum et debitum, fuerit aliquo modo certo positum, dubitetur autem probabiliter an sit sufficiens illa satisfactio, tunc obligationem extingui docet S. Doctor. *Hic posterior solvendi modus limitatur.*

Atvero hoc modo nondum sufficienter omnia conciliantur : hæc enim non applicantur dubio de omissa officii recitatione, quæ enim ibi alia probabilitas quam facti apparet? Etiamsi dicas ubique S. Alphonsum illo num. 150 lib. 4, supponere aliquam recordationem incepti psalmi, horæ, et ita dubium non esse tam de omissione quam potius de sufficientia talis recitationis, ea quæstio de verbo est, nisi enim mutes quæstionem positam in hanc aliam : de sufficientia recitationis cum distractione, manebit mera quæstio facti : an legeris vel non legeris illam partem, ea autem vaga recordatio de incepto aliquo psalmo etc. erit motivum concurrens ad ostendendam probabilitatem facti recitationis; sicut in sequentibus eodem num. apparet : « Si dubites an totam horam dixeris...; si ordinarie non soleas horam posteriorem dicere nisi post priorem, prudenter potes credere te nihil omisisse ». Quod autem dicit Ballerini in Gury, I, n. 80, nota (*b*) : S. Doctorem suam opinionem mutasse quoad quæstionem specialem de *voto*, non vero quoad generale principium; id verum non videtur, cum S. Alphonsus l. 1, n. 29, addat : « Quod autem diximus de voto, intelligendum est etiam de satisfactione pœnitentiæ sacramentalis ». Et *Hom. Apost.*, tr. 1, n. 17 : « Et idem dicendum de obligatione recitandi horas canonicas, et adimplendi pœnitentiam sacramentalem ». Et hunc ipsum numerum incipiat : « Infertur 2. quod quicquid de lege dictum est idem de voto erit dicendum, quod est quædam particularis lex, quam sibi homo imponit, quapropter... » Et iterum in quæs- *At non est sufficiens conciliatio.*

tione de solutione debiti ex contractu promissionis et ex justitia, l. 4, n. 700, eodem modo loquitur. Cæterum nescio quænam ratio discriminis esset inter obligationem voti et aliam, quoad præsens intentum.

Concluditur de facto aliquam esse hac de re in doctrina S. Alphonsi inconsequentiam.

355. De facto itaque aliqua videtur quoad hoc punctum inconsequentia in doctrina S. Alphonsi. Sed potius in rationes quas affert inquiramus.

Inquiritur in rationes S. Doctoris.

Ante omnia distinguendum esse dicit inter probabilitatem facti impletionis præcepti, voti, etc., et probabilitatem juris de impletionis aliquo modo præstitæ sufficientia. Qua posita distinctione, si agatur de probabilitate facti certum est, ait, præceptum aut votum, probabilis tantum impletio; ergo possidet obligatio donec certa non est impletio (nisi itaque talis sit probabilitas ut præsumere faceret quadam morali certitudine voto jam fuisse satisfactum, ut dicit l. 1, n. 29); probabilis est impletio directe, non autem datur locus reflexo principio quod certitudinem afferat, quia hoc non fit nisi in probabilitate juris, quæ scilicet ipsam obligationem et legem faciat dubiam seu incertam.

Distinguit duplicem impletionem probabilem, de facto vel de jure; et in hoc nititur tota ratio solvendi S. Alphonsi.

Si vero agatur de probabilitate juris, ea bene uti potes, ait lib. 4, n. 700, et remittit ad l. 1, n. 33 (editionis Rom. anni 1757, quem citatum reperies in nota ad dictum n. 700 in edit. Mechl., Heilig) ubi doctrinam Suarez de distinguenda probabilitate juris et proxima a probabilitate circa res seu facta et remota adducit. Ast illa Suarezii distinctio non solvit præsentem quæstionem : dicit enim ille probabilitate quidem juris semper nos uti posse, at quando opiniones versantur circa res ipsas, *sæpe* tenetur homo præferre certam probabili, *quando scilicet ex justitia vel charitate* (adde : aliave virtute) *tenetur* vitare damnum quod in re ipsa subest (vel aliud quodvis illicitum). Sed hic præcise quæstio est an, in probabilitate facti de qua S. Alphonsus, aliquid obstet ne in probabilitatem juris devenias; et nos dicimus nihil obesse : si enim probabiliter de facto legem implevisti, probabiliter non amplius teneris. Et principium reflexum quod obligatio objectiva non possit applicari subjecto nisi per scientiam, scientia autem non adsit ubi res

At hæc distinctio non suppeditat solutionem.

utrimque est probabilis, hoc ipsum : te non teneri, certo evincit, simul dum ad probabilitatem juris transiri demonstrat.

Concluditur in ipsa quæstione juris et applicatione principiorum esse aliquem defectum qui in ipsa expositione moralis systematis radicem habet.

356. Unde concludimus non tantum de facto aliquam esse inconsequentiam supra relatam, apud S. Alphonsum ; sed etiam in ipsa applicatione principii et quæstione juris esse defectum et S. Alphonsum non tota latitudine sua applicare principia Probabilismi. Hujus autem rei in ipso systemate morali S. Alphonsi aliquam radicem inveniri haud immerito conjicitur. Nam optime quidem 1° ex S. Thoma necessitatem promulgationis ad legis valorem declarat ex eaque deducit primum principium (1) : *Lex dubia non obligat* ; deinde secundum eumdem Angelicum Doctorem exponit quomodo conscientia liget, seu nullam esse obligationem in actu secundo sine scientia seu notitia ejusdem, ex quo deducit alterum principium (2) : *Lex incerta non potest certum obligationem inducere, quia hominis libertas anterius ad legis obligationem possidet.*

Brevis analysis systematis moralis.

Duplex principium reflexum.

Juxta S. Alphonsum utrumque principium est distinguendum.

Et 2° monet quidem S. Alphonsus : « Duo sunt principia, quibus innixus licitum usum tueor opinionis probabilis... [modo ea citavimus]... Et in hoc advertendum, quod ista duo principia non utique idem sunt sub diverso aspectu exposita, ut *P. Patutius* censet ; utrumque enim diversum habet fundamentum, cum prius fundetur in motivo, quod lex non habet virtutem actualiter obligandi, nisi sit certe promulgata. Posterius fundatur in motivo, quod homo certam suæ libertatis possessionem habens de illa non tenetur se expoliatum reputare propter incertam legem » (3).

At lex incerta est æquivocum dictum.

At 3° *incerta lex* dupliciter potest intelligi : lex ex parte sua incerta cui aliquid deficit ut certo innotescere possit, et tunc non plus deducitur ex hoc altero principio quam ex priore; vel *incerta obligatio*, ita ut nihil deficiat ex parte legis

(1) Vide l. 1, tr. 1 *de Conscientia*, morale systema, n. 69.

(2) Ibidem n. 75.

(3) In edit. 6ª Rom. 1767, citata in edit. Mechl. ad num. 68, pag. 48. Notemus hanc editionem Mechliniensem P. Heilig, quam adhibemus, totam quantam exhibere edit. 9ᵐ, postremam (Bassan. 1785).

ut virtutem ligandi habeat sed deficiat scientia in subjecto qua mediante virtus ligandi in actu secundo liget. Et hæ sunt quas diximus duæ quasi-partes systematis Probabilismi seu duo ejus principia : 1. Lex dubia non obligat, in casu autem probabilitatis juris circa ipsam legem lex est dubia. 2. Etiamsi lex ex parte sua sit certa seu debite promulgata, adeoque virtutem ligandi habeat et sit applicabilis in actu primo, ulterius requiritur ut actu applicetur et transeat obligatio objectiva quæ est effectus primarius et essentialis legis, in subjectivam. Hoc autem fit per scientiam non legis tantum sed necessitatis eam applicandi in hoc casu. Quæ scientia deficit non tantum in casu probabilitatis juris circa ipsam legem sed etiam facti legis impletæ. Jamvero videtur S. Alphonsus hoc alterum principium nimis ad priorem sensum coarctare, ita ut licet distincto fundamento utrumque nitatur, ad idem tamen probandum concurrat, ac intra eumdem ambitum, quod applicationem spectat, contineatur, et inde fit quod solam probabilitatem juris aliquid efficere dicat in quæstione de qua agebamus, non vero probabilitatem facti legis impletæ, quasi hæc æquiparanda esset probabilitati mere speculativæ et nova aliqua obligatio exurgeret quæ certo coarctet libertatem. Hoc solum in illa distinctione invenimus, quod facilius ad probabilitatem assurgas in casu ubi lex aliquo modo impleta fuit, dubitatur autem an sit impletio illa sufficiens, quam in casu ubi de ipso facto impletionis est dubium : quia tunc vel merum dubium manebit aut saltem dubie probabile, vel ita excrescet illa probabilitas facti ut ad moralem certitudinem deveniat. Existimo hanc strictam probabilitatem facti fere non contingere nisi quando ex numero eventuum deducitur. Quod autem ea vere videatur mens S. Alphonsi ex quadam confusione orta et non satis distincta obligatione objectiva ab ipsius causa quæ est lex, et ab obligatione subjectiva quæ petit scientiam, illam applicantem, ex ipsa expositione moralis systematis potest confirmari : et 1° quidem eo ipso quod in secundo principio seu corollario dicat : *incertam legem*, cum melius diceretur *incerta obligatio*. 2° De hoc altero

Et videtur S. Alphonsus eo sensu explicare 2m principium ut ad 1m reducat.

Et in illa confusione radix est solutionis S. Alphonsi in quæstione de qua agebamus.

jam corollario agens n. 76 in fine, loquitur omnino ut de priore : « Ergo nequaquam peccat, qui in duarum opinionum æque probabilium hæsitatione inquirit legem, et debita diligentia adhibita, eam omnino dubiam invenit et ideo non obligantem ». Et iterum n. 77, §. *Hinc est* : « auctores antiqui... pro certo habuerunt legem dubiam non obligare. »

II. quæstio. De probabili solutione debiti ex justitia.

357. II. Manet altera quæstio initio proposita : an ea quæ de probabili impletione legis, voti, diximus etiam dici possint de probabili solutione debiti ex justitia. Qua in re valde etiam Probabilistæ dissentiunt. Ut breviter rem expediamus quam supra jam obiter attigimus (1), dicimus :

1° Difficillime adest mera probabilitas factæ solutionis.

1° Advertendum esse quam difficulter adsit illa mera facti probabilitas, qua de re modo dicebamus, adeoque probabilem solutionem fere semper intelligi de aliquali solutione certo facta sed probabiliter tantum sufficiente. 2° Hic solutionem quidem indirectam suppetere quam infert Lugo, cit. disp. 16 *de Just.*, s. 5, nn. 99 102, relate ad compensationem occultam (2) ; cum videlicet Doctores in nostra quæstione probabiliter dicant : non debere solvi debitum quando probabiliter fuit solutum, seu asserant hoc esse probabile, quamvis et oppositum tradatur ab aliis et sit etiam probabile, possumus eorum opinionem sequi qui liberant a debito ; quidquid sit

2° Suppetit solutio hujus dubii indirecta.

(1) N. 299. — Ut breves simus, remittimus ad auctores, ubi varia elementa solutionis nostræ invenire erit, sed dispersa, et longis disputationibus de materiis sæpe connexis tantum, implicata. Vide itaque de Lugo, *de Pœnit.*, disp. 16, sect. 2, n. 60 ubi dubitanter loquitur ; *de Justitia*, disp. 16, sect. 5, nn. 94-106 ; disp. 18, sect. 1, nn. præsertim 7 sqq. ubi explicite de dubio tantum, non de probabilitate loquitur sed sufficienter aliter loquendum in casu probabilitatis insinuat in exemplis v. gr. n. 10 ; disp. 20, sect. 1, num. 1 initio ; et auctores ibidem variis locis citatos.

(2) Quæ in quæstione de compensatione occulta ex opinione probabili dicuntur in favorem liceitatis talis compensationis, ea a fortiori hic nobis favent. Minus enim est licere petere et accipere probabiliter soluta quam compensare ; et : non teneri solvere eadem, quam si alter jam compensatione usus fuerit, posse resumere per compensationem. Unde vides in illa disp. 16 Lugonis, proportione servata, multa in hanc nostram rem, utilia reperiri, nec tamen eadem hæsitatione et prudentia nos loqui debere ac ille loquitur n. 106 fine, de compensatione, qua in re ulterius complementum est quæstionis nostræ, et plus affirmatur.

de modo quo ipsi ostendunt libertatem ab obligatione illa directa justitiæ solvendi debiti, nos nixi eorum auctoritate, quasque ipsa supponit rationibus ostendentibus non esse illam obligationem directam, saltem merito concludimus indirecte eam obligationem non esse claram et certam, nec adeo in actu secundo ligare.

3° Solutio directa : 1ª assertum.

358. At 3° quæritur hic solutio directa. Affirmamus duo : *a)* creditor potest in casu petere solutionem et si solvat debitor, accipere. Hoc omnes admittunt. Vid. de Lugo, l. c., n. 105. Nec ullum potest inconveniens ostendi. Bene tamen notandum, nondum hic nos asserere fieri posse compensationem occultam, de qua ibidem agit Lugo ; multo minus, posse creditorem per vim cogere debitorem ad solvendum, hoc enim, etiamsi admittas compensationem esse licitam, certo non licet, quia non potest privatus nisi vim solam vi repellere, qui autem probabiliter solvit. et tamen probabiliter adhuc retinet rem tuam, vim non infert : cf. de Lugo, l. c., sect. 6, n. 134.

2ª assertum.

b) Non tenetur debitor in casu solvere. [Non loquimur de casu quo sententia judicis ad solvendum cogeretur : si enim res judici deferatur, standum est in conscientia rei judicatæ (1)]. Ratio est, quia qui probabiliter solvit, probabiliter liberatur. Si autem vere probabile est eum esse liberum ab obligatione, ex supra expositis, indirecte seu reflexe constat eum non obligari. (Si tamen postea certitudo acquiratur debiti, tunc certe tenebitur titulo rei acceptæ, sicut ipse creditor qui accepisset solutionem altera vice a debitore tunc probabili, deberet utique eodem titulo secundam solutionem restituere). Tota res versatur in hoc : an qui probabiliter solvit, probabiliter non debeat amplius solvere. Jam vero hoc per se ita est, nisi demonstretur intercedere aliquod principium impediens transitum illum a probabilitate facti ad probabilitatem juris non tantum remotam seu hac sola inspecta solutione probabili, sed practicam et omnibus

Ratio.

In quo sit tota difficultas.

(1) Vide, quoad q. de compensatione, quæ de hac re advertit Lugo, disp. 16 jam citata, n. 106.

inspectis. Duplex autem afferunt auctores impedimentum, qui nobis adversantur : quia debitum possidet, donec certo sit solutum ; et : debito certo non satisfit per solutionem incertam. Ad primum autem, sermo non est de possessione facti, puta pecuniæ de qua quæritur cujus sit, nam nescitur quis eam habeat, (cf. Lugo, disp. 18 *de Just.*, sect. 1, nn. 8 et 10) et ita posset dici, cum dubium sit probabile ex utraque parte, si debitor eam possidet merito retinet donec demonstretur eam injuste possidere, sed quæritur de quasi-possessione juris ad solutionem, quam affirmant illi auctores esse penes creditorem. Jamvero non demonstratur illa possessio nisi ostendatur debitum etiam posita solutione probabiliter facta, esse certum, et ita incidimus in aliud : « debito certo non satisfit per solutionem dubiam. » At hoc valere dicimus in dubio negativo. Posito enim debito certo cui superveniat dubium leve quod sit solutum, imo et nulla ratio nisi levis sit non fuisse solutum : non inde infringi poterit prior illa certitudo possidens et perdurans debiti, et neglecto dubio erit solvendum. Sed si sit vere probabile, ita ut ipse creditor non possit negare, solutionem fuisse factam, antecedenter quidem ad illam probabilitatem erat debitum certum, nunc vero est tantum probabile quod adhuc sit. Unde nego suppositum. Imo et retorqueri potest argumentum contentum illo dicterio : si enim dicis debere solvere probabilem illum debitorem, debito incerto solutionem certam faciendam asseris ; quod majus est inconveniens.

An hic valeat : « debitum possidet, donec certo sit solutum. »

An valeat : « debito certo non satisfit per solutionem incertam. »

Retorquetur illud dicterium.

359. Instant : non servatur æqualitas si sufficit probabilis solutio pro debito certo, et videtur voluntas contrahentium et sensus moralis hominum petere ut pro debito certo fiat solutio certa. Respondetur : Negando nos asserere sufficientiam incertæ solutionis pro debito certo. Si enim debitum sit certum, facienda est solutio certa. Sed negamus illud suppositum. Et addimus si postea certum fiat iterum debitum, res esse secundum illam certitudinem ordinandas, ut diximus. Unde et sensus moralis hominum non petit nisi ut servetur æquitas et justitia, non ut imponatur obligatio de qua non constat.

Instant.

Respondetur.

Objicitur. Objicitur : sequi ex sententia nostra posse bellum justum esse ex utraque parte, creditore juste petente, debitore
Respondetur. juste negante. Respondemus : bellum justum est formaliter
Quomodo bellum sit justum ex utraque parte. ex utraque parte, quoties ignoratur veritas, et utraque pars probabile jus habet; licet numquam sit materialiter justum ex utraque parte. Unde nulla est hæc difficultas.

Objicitur. Objiciunt præterea : esse viam mediam inter assertum nostrum et eorum qui obligant ad solutionem integram, eamque magis æquitati conformem, ut scilicet res dividatur.
Respondetur. Respondemus : viam illam mediam ducere ad plura absurda : idem enim applicandum esset aliis dubiis pro rata dubii et impletioni aliorum præceptorum, et qui dubitaret de officio recitato obligandus esset ad recitandum pro rata dubii, qui
Via media dividendi debiti non potest, absque judicis sententia, imponi. dubitaret de confessione aliquorum peccatorum obligandus ad aliqua repetenda pro rata dubii (de Lugo, disp. 18 *de Just.*, sect. 1, nn. 12 et 13). Sed quidquid sit de hoc, certe necessario aliqua injustitia fieri deberet utrique, creditori et debitori : si enim hic mediam partem solvit vel defraudat si vere debet, vel amittit mediam partem suæ pecuniæ si nihil debet, unde cogitur ad alterutrum : ad inferendam injuriam vel ad injuriam patiendam. Quod est inconveniens.

Instant. Instant. Forum internum conformari debet foro externo, nisi hoc nitatur falsa præsumptione. At judex decerneret ex æquitate naturali ut diximus.

Respondetur. Respondeo. Judex non decerneret solvendum pro rata
Quomodo in foro externo hoc dubium solvatur. dubii : nam in dubio negativo obligaret ad integre solvendum; in dubio probabili decerneret pro parte probabiliore; si vero sit utraque æquiprobabilis, poterit utique solutionem mediam decernere, vel etiam solutionem integram (si nimirum debitum aliquando certum fuisse probetur, v. g. scripto, et contra non possit proferri æque certa probatio extincti debiti : et tunc creditor, quamvis sciat fuisse probabiliter factam solutionem, potest stare judicis sententiæ, secundum superius dicta, etiam in conscientia; ita tamen ut paratus sit ultro reddere secundam solutionem, si ad moralem certitudinem se bis recepisse, postea deveniat). Sed inde non sequitur debitorem ante sententiam judicis debere solvere,

et judicare sicut judicaret judex ex officio : nam 1° plura sunt quæ in conscientia ad probationem concurrere possunt et probabilitatem efficere, quæ in foro externo, quod de internis non judicat, usui esse non possunt; 2° judex debet *ex officio* decisionem proferre, et ex pacto implicito erga rempublicam veritatem quantum potest inquirere, et secundum probabiliora, in similibus causis civilibus de quibus agimus, decernere ; si autem æqualia sint jura, debet tamen ex officio compositionem facere aut rem dividere, ejusque sententiæ quæ ad hoc auctoritatem habet est standum ; sed privati possunt a re decidenda abstinere adeoque uterque permanere in sententia sua et jure suo, adeoque creditor petere, debitor non solvere, donec certitudo fiat. Vide de Lugo, *de Just.*, disp. 16, sect. 5, n. 106; et de judiciis generatim et ex professo, *ibidem*, disp. 37, præsertim quoad hanc rem nostram sect. 10. Optime etiam Terill., op. sæpius cit., Q. XXIV, assert. 2-6.

Quare in foro interno ante judicis interventum non debeat eodem modo solvi.

360. Atque hic finis est totius dissertationis de solvendo dubio in re morali, quam si quid utilitatis habet in gratiarum actionem accipere dignetur Dominus Deus, cui soli omnis honor et gloria.

FINIS.

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX1759.5.D6W3 C001
DE DUBIO SOVENDO IN RE MORALI LOUVAIN
3 0311 00044 4633

WITHDRAWN

BX
1759.5
.D6W3

23424

AUTHOR Waffelaert, G.J.

TITLE DE DUBIO SOLVENDO IN RE MORALI

3 0311 00044 463